

Gloria Orbi Sarmatico  
consensu monstrata, à DEO data

&

*Serenissimo ac invictissimo Principi*

M I C H A E L I

K O R Y B V T

Inclyto REGI Poloniarum

Magno Duci Lithuaniae, Russiae Prus-  
siae, Masoviae, Samogitiae Czerni-  
choviae, Smolensciaeque; &c.

REGI ORTHODOXO

Cum prima Imperii spatia feliciter  
ingressus fuisset;

A CASIMIRO ZAWADZKI Electoralis Campi  
Equite, Exhibita.



Varšaviae Anno 1670. *v. 9. 26.*

~~15~~

~~29~~

Libertatis donum & solatium.



E VIII 344

**G**enerari & nasci á Principibus fortuitum, nec iam ultra  
apud Polonos estimatur: Piastos non sine prosperis prodi-  
giis & manifesto Numinis favore Sarmatarum Reipl, con-  
tigisse. Vnde mirum in illos Celi fauor & populorum incli-  
natio. Prodigiöse Epula, quod nunquam deficerent, Crusi-  
ciensem Piastum, tot Regum Imperatorumq; Patrem in folio  
Sarmatici Orbis constituerunt: Te Princeps Serenissime in-  
stillatus e Celo in Ciuum pectora consensu Principem fecit.  
Nam cum detentimi mortalium, inter publica malorum Reipl  
habiti instrumenta, consensu non tam unum aliquem foveret,  
quam alium; idq; flagitiosissimo consilio ante destina-  
tum, tam inter armatos & obnoxios difficilis speraretur con-  
cordia, millenis numerosorum Ciuum vocibus, velut uno  
ore electus es. Id quia impossibile factu erat, humani quo-  
que miraculi ingenium modumq; videtur excessisse. Quare  
ut manifesto iudicio propitia Fata sine modo in te fauores  
cumularunt, ita egregias Dominationis Artes præscriperunt:  
continuam Liberalitatem, & perennem insubditos, recipro-  
cam nimirum Ciuum amori, Benevolentiam, magna ille  
profecto nec spernenda Artes, quibus solis & parantur subdi-  
ti, & in officio retinentur. Sileri proinde ingens Orbis Sar-

matici miraculum, & sine modo in Poloniam Gentem Nu-  
minis fauores, Tuamq̄ ante omnia Fortunam, quæ grandem  
Electiōnis Actum nobilitauit, ab effuso in amorem Tui sub-  
dito, non decuit, tum non modo necessarium, sed & decorum  
Reipl. vulgare ingenue rerum Ordinem sequente calamo E-  
lectiōnis Artes, siue Arcana fuerint, contra scriptores odio re-  
rum aut nimio fauore imbutos: simulq̄ vindicare apud ambi-  
guam Posteritatem, ne quid inde Electiōnis Libertati dec-  
dat, aut Innocentiæ Maiestatis Tuae, & quam innocuis arti-  
bus Caloq̄ grata ac digna Modestia, ad summa prouectus se  
trahat ur.

Varsauiæ 26. Aprilis Anno Domini 1670.  
Sereniss. Maiestatis Vestræ

Infimus & amantissimus subditus.

Cnsimirus Zawádzki Cap. Pac'

## Acta diurna Electoralis Campi

**E**LECTIO DEO Auspice proscriptum Confederationis generalis secuta Anno Domini 1669. secunda Mensis Mai inchoata & ab Ordinebus Regni. Marschalcus Equestris Ordinis magno negotio vix tertio Idus Maii electus est, acerrimè dissidentibus inter se Lithuanis & pluralitatem eligendi Directoris turbantibus aut remorantibus. Causa inter eos dissidii animorum, Campiductoralis Claua a Ioanne Casimiro Rege Michaeli Radziwillio collata Procancellario M. Ducatus Lithuaniae contra conatum & vota Paccanæ Domus. Hinc impellentibus Partium Ducibus continua in Equestri Rota partizantium certamina, & notiora quam vt regi possent odia, hinc æmulante inuidiam fastu, superbi antambulones, principales aulae apparatus, numerosa satellitia, florem robusti dixisses exercitus. Lubomirscio Varsauiam venienti obuiz Senatorum & equitum turmae, quæq; Palatino Cracouiensi pompam adstruebant, iudicio Sobiescii supremi Ducis Reipl. exercituum 12. millium probè armatorum numerum excedebant, parem, infesto cuius prælio manum. Adeo ea tēpestare ambitus & in summâ Reipl. paupertate priuatorum Ciuium inopia in pudēdum luxum exarserat. vincentibus nihilominus suffragiis, seu ita ordinantibus fatis Felix Potocius Subdapifer Regni in Marschalcum electus est. Integra posthac septimana inter concertationes de iuramento à cæteris equitibus præstando elapsa est, tandemq; tertio calendas Maii, quæ in diem Saturni inciderat, post redditam Senatoribus seu vt vulgò appellant senioribus fratribus ab equestri

equeſtri ordine ore Directoris ſui ſalutationem, reliqui  
Senatores & equites qui in Conuocatione Regni iu-  
ramentum non fecerant præſtiterunt corã Deputatis  
ad id tam ex Senatorio ordine à Rñdiſſimo Archiepi-  
ſcopo Gneznenſi quam & ex Equeſtri ordine a Mare-  
ſchalco aſſignatis. Quarto Calendas imago Augu-  
ſtiſſimæ Virginis, quæ ante portam Cathedralis tem-  
pli Varſauiēſis affixa erat fleuiſſe perhibetur, ſunt mul-  
ti: qui viderant. Quinto calendas Equeſtris Ordo iu-  
uit cum Mareſchalco, vt patrio ritu vocant Poloni in  
Szopam, ad excipienda ab Illm. Senatoribus Senatus  
conſulta, in quorum redditione nihil ſingulare fuerat,  
præter litteras, quæ a Magno Turcarum, Moſcorum  
Cæſaribus, à Magno Tartarorum Chano, quatuor fere  
horarum ſpatio eorumq; Miniſtris legebantur. In æ-  
dificatione ex Senatu ſubitariae ſtructuræ, ad arcenda  
cæli incommoda iam dictæ vulgari cognomine Szopæ  
ab vrbe aut vicinis Varſauiæ ædibus quadrante fe-  
rè milliaris remotis, volitaſe continuo per duas ſepti-  
manas niuca Columba perhibetur, multorum qui a-  
ſpexerant testimoniis & dictæ ſtructuræ mane & veſpe  
ri inſediſſe, Nulloq; operariorum ſtrepitu, clamore  
hominū, bombardarū ſine noxa exploſione a loco de-  
terreri potuiſſe, donec opus perficeretur, abhinc am-  
plius non comparuiſſe. Nec vana ea ſpecies placidæ  
alitis fuit, auſpicatū augurium ſubſecuta felix Electio,  
mitem magis inuenit Dñum, quam ſauerum, nimirum  
Spiritus ſancti electio, per Amoris Suffragium & Cle-  
mentię agitur.

Sexto calendas floridi Menſis Deputati magno mo-  
tu ad generalia Regni iudicia Capturalia impediēti-  
bus ac miſcenſibus ſeſe mutuò Lithuanis ab Equeſtri  
Or-

Ordine quatuor ex singulis gentibus, nimirum Magnâ  
Minoriq; Polonia & M. Ducatu Lithuanix Electi sunt.  
Deputa i ad eadē iudicia à Rñdissimo Archiepisco tres  
Senatores Castellani. Eadem die supremus Senator  
Castellanus Cracouiensis Varzicius, cum Castellano  
Varsaviensi in Szopa coram Archiopo cæterisq; Sena-  
toribus infestis sese vtrinq; verbis impetierunt, nec fe-  
rente Varficio iram scipione quem dexterâ tenebat  
Oborscio plagas intentasse, illum ad capulum framæ  
manum intulisse, ac vix à Senatoribus cohibitos esse,  
quin in certamen erumperent. Intentâ vtrinq; actio-  
ne in Generalibus Regni iudiciis capitalibus iudica-  
ti sunt, finitaq; lis inter ipsos, aduerso Castellano Varsa-  
uiensi Decreto. Magnâ cōtrouersia magnoq; animorū  
motu hæc Deputatio steterat. impediendibus plu-  
rimis, insistendo nouissimæ Legi, Electionem Depu-  
tatorum per Palatinatus, cæteri, idq; plures, veteri-  
bus institutis standum, atq; ne autoritas Marschalci  
violaretur censebant, miraq; conatū perficere. Quatu-  
or deinde dies absumpti sunt otio aut nullo negotio.  
consentibus aliis concedendam esse audientiam Orato-  
ribus externorum Principum, aliis cum id ex præsentis  
Reipl. vsu & commoditate minimè videretur cum  
hac ratione tractandarum exorbitantiarum tempus  
extrahi posset & earum medela in initium reuolui. aliis  
prolixè nitentib9, vt exorbitantiæ nō per Deputatos sed  
in medio Equestris Rotæ tractarentur. vtrumq; vsu ste-  
rile fuit. Egregiâ voce in publicum, idem expressit  
Zaremba Iudex Sendomiriensis, Electionem Principis  
non sublatis Exorbitantiis, auctoramentum seruitutis  
appellans. tum de Cassatione Casimiriani in Lubomir-  
scium Decreti, de abusu Iuris Maiestatis à Sigismun-  
do I.

do I. Stephano Bathoreo, Casimiro Abdicante ac restri-  
ctione eius prolixè differuit. valuitq; vox ad consensum  
publicum, deputatiq; sunt vndecimo calendâs à Mare-  
schaleo equestri bini ex Palatinatibus, singuli ex singu-  
lis districtibus vulgò terris nominatis. Vigesima  
Octaua Maii missus Equestris Ordo Senatui, lectus à Ma-  
reschalco Conceptus Cassationis in Lubomirscium  
lati Decreti, requisitus Rñdissimus Archiepiscopus, vt  
ex Senatu quoq; deputaret. Conquestus iniuriam su-  
am Zamoiski & reiectus. Mox Vexillifer Sendomir:  
Vir alioquin egregius & ipsa eanitie conspicuus; sed ni-  
mio rerum Studio, Libertati non profuturo, Reipli-  
noxio, subitos motus & turbas excitans; (quib9 rumo-  
ribus, quomodo fatum suum nec sine dedecore prouo-  
uocauerit, in tempore memorabo) impetrata voce  
Condænanarum Partium studia reuiuiscere dixit, factio-  
nem maturescere asseruit. Cum tamen legibus Confæ-  
derationis eius incapacitas ad Coronam & inhabilitas  
ad Electionem declarata sit. Tum Oborscius Castel-  
lanus Varsauiensis in contrarium nitens; Libertatem  
sibi nullâ lege ademptam esse dixit, nominandi quem  
voluerit ex candidatis ingenti animorum concitationi  
materiam subministravit. Subitoq; velut contagio-  
ne vniuersi correpti, furere, alii minari, multi ad capu-  
lum referre manum, omnes infestis clamoribus disces-  
sum Mareschalci vrgebant, atq; ad consuetum suis cõ-  
sultationibus locum euocarunt. Tum acriter de exe-  
cutione in Oborscium extendenda detonarunt, alii  
censebant iudicium in eum instituendum esse. Interim  
Vexillifer Sendomir: arreptâ voce differuit: non iam  
rumores de Condænanis partibus valescere, sed ipsos  
Senatores palam & impudenter agnoscere & se fateri  
parti



Partium studium. Tum Nicolaus Penkossavius produxit litteras anonimas, sibi ministerio famuli sui amici titulo redditas. studione boni publici ea epistola composita, an odio partium ad invidiam apud populum conciliandam conficta fuerit? in incerto est quâ monebatur 25 Maii secreti consilii apud Primatem Regni cum 12. Senatoribus habiti, eadem conciliabulâ apud supremum Regni Thesaurarium Institui, hisq; fomentis Gallix ambitionem ali, factionem valescere. Cosacorum Tartarorumq; Phalanges à Neoburgo Principe ductas, ad expedienda vota armari Regem Succia & Vasallum Reipl. Ducem Prussia Regem elegisse. à Principibus ac plurimis Senatoribus Polonia Principem in recessu conclauium secreto, in sciâ nobilitate creatum esse. Deliberatum super ea re ab equestri Ordine, missiq; Oratores, Nicolaus Penkossavius, Alexander Krzycki Succamerarius Calisiensis, Ioannes Pienazek Capit. Osuieciensis qui expostularent ab Illustrissimis Senatoribus, verane essent quæ constanti fama vulgarentur? simulq; Oborscio penam legibus Confederationis descriptam denuntiarent. Responsum à Rndissimo Primate, vana esse quæ iactarentur, sibi consilium DEumq; pro tuenda innocentia sufficere: Episcopus Cracouiensis, anonimum scriptum, quod ad Pekossaviura communicatione Castellani Leopoliensi peruenerat reddita sibi duo exemplaria respondit: vnum à Castellano Leopoliensi Maximiliano Fredrone, in quo electionem Piasii rationibus tuebatur alterum memoria se non tenerâ quo in manus suas irrepsisset: eumq; Castellanus Leopoliensis restitutionem conceptus sui per famulum requisisset, casu ambo exemplaria reddidisse. Verum

Id an fallum occultante lac pruzumbante Episcopo pessi  
mi Facinoris Ministros, ex qualitate cuiusq; ingenii &  
affectus integrum deliberationi relinquo. Huc tamen  
magis inclinatur iudicium, in excusationem facinoris,  
lubrici defectus excogitatum esse hocce commentum  
cum incredibile sit, rem tam magni momenti leui aut  
ignoto ei auctore proditam, penitus memoriã effugis-  
se. Verius crediderim id miraculosè summã diuinã  
Maiestatis gratia in publicum vulgatum esse, vlcicen-  
te supremo Vindice nefarium periurii scelus. Castel-  
lanus Varfauientis infelicitati suæ tribuendum esse,  
constanter asseruit, quod obrutus clamore, efferre quæ  
sentiret, non potuisset. se Condæum & Neoburgum in  
eâdem classe inexpacitatis ad Coronam Regni Polo-  
næ demonstrare voluisse, & nunc se ingenuè Condæo  
hostem profiteri, & si quid deliquisset in Rempli depre-  
cari. Hac declaratione accepta reuersi ad Rotam Ora-  
tores, visi sunt leniuissè publicum odium & quies ani-  
morum tantisper reddita est. Sequenti die ad instan-  
tiam Deputatorum ex Equestri rota ad Senatum assi-  
gnati sunt à Rndissimo Archiepo 12. Senatores quater-  
ni ex singulis gentibus, additis Regni officialibus &  
sigilli Custodibus, spernente Equestri ordine prio-  
rem Deputationem, vtpote antiquis institutis contra-  
riam, quod oēs Palatini ad conciliandas Exorbitantias  
deputati fuissent. Solutaq; sessio eius diei à Mar-  
schalco, præfixo tempore tractandorum Exorbitanti-  
arum in Arce Varfauienti hora septima post Ortum Solis.  
Conuentionis vero ad Rotæ cõsiliũ hora 2da post me-  
ridiana assignata est.

Pridie Calendas Iulii Deputati ad exorbitan-  
tias in Senatorio conclau sessionem suam inchoarunt,  
negligen

negligente officium suum Regni Mareschalco.  
Deputati ob defectum scipionis vocum Dispen-  
satrieis, inter expectationem consumpto tempo-  
re nulloq; concluso negotio dilapsi sunt. Melior fortuna  
quamuis inter dissonas sententias equestri Rotæ  
affuisse visa est. Conclusum enim est, vt Camencii Podo-  
lia, Brestensis fortalitiij tum & Arcis Cracouienfis for-  
tificationi & iusto alendo præsidio sumptibus publicis  
prospiceretur. Secundo nonas Iunii tracta-  
tum in Arce à Deputatis ad Exorbitantias qua ratio-  
ne in tanta temporis angustia compendiose expediri  
possent. Supeditatus modus ab Illmo Procancellâ-  
rio, vt ab earum medela & tractatione inciperetur salu-  
bre totius Reip. negotium, quæ ad iuramentum Prin-  
cipis eligendi directe pertinerent. Eadem die Consi-  
lium Prutenicum, iuxta veteres Prouinciæ mores  
Rûdissimo Episc. Warmiensi Præside perpetuo Terra-  
rum Prusix coactum est. definitumq; inter nos vt. ex  
Instructione ea tantum puncta in Cathologum trans-  
ferrentur maximaq; exorbitantiarum inconuenientia es-  
sent, quæ maximè statû Reip. & Prouinciæ afficerent. De-  
putati ad hoc negotium expediendum Palatinus Pome-  
ranix, n̄uem & equestri Ordine, inter quos me quoq;  
fors, huic operi interesse voluit. Sero post meridiem  
confluentibus ad Rotam equitibus, Mareschalcus ab-  
sentiam suam causata aduersa valetudine per clientem  
excusauit, paucisq; verbis eit fore & id gratû acceptum  
que, quod scipionem insigni Directoris, tantisper Ca-  
pitaneo Spiffiensi committeret, qui cōsulto prius eque-  
stri Ordine an suscipere deberet, postquam vniuersorû  
voces accepisset, se libenter consentire in eum, rece-  
pto in manus scipione ad sedem Marschalci perrexit,

statimq; petiit ab equestri ordine, vt nuntio summi Pontificis audientia preberi posset. Consultatum super ea re, & assensum, dandam esse audientiam Legato summi Pontificis ad Rempl. à sede Apostolica destinato, dilatatumq; tempus in horam secundam postmeridianam sequentis diei. Nil ea die actum dictumq; in Rota, præter interpellationem Marchalci, vt ad inuitandos Illmos Senatores, in medium sui more antiquo mitteret; deputati interim sex Internuntii, qui ad excipiendum irent Nuntium Apostolicum, tum Archiepiscopus Gñsis cum vniuerso senatu Rotam ingressus confedereq; Senatores, quisq; in loco Palatinato sui, sex Palatini, duo Episcopi ire in occursum iussi Legato Apostolico, armata satellitia Dominorum vtrinq; stare pro vallo, expansis vexillis, concinentibus tubis sonantibusq; tympanis speciem magni exercitus representabant; cum à Szopa ad Pomeria vsq; vrbis armati starent, 59. vexilla erant quæ duodecem millia armatorum superasse traduntur. Centum viginti Rheda anteibant, Equitum nobilium, seu vt vulgo vocantur Caualcata currum Legati ante equitantium ingens numerus, regalis magnificentie pompam adstruebant. Rotam ingresso vniuersa Respl. debitam exhibuit reuerentiam, Archiepiscopus Gnesnensis à suo Curullimensis duobus passibus amice salutatum: inter se & Episcopum Craeouicensem loco cohonestauit, tum lecta à summo Pontifice per Refendarium Regni spiritualem ad senatum litteræ, reddita & Marchalco equestri scripta ad equestrem ordinem Epistola, quam Marchalcus sedens intecto capite ob reuerentiam sedis Apostolicæ legit, contenta harum litterarum, nihil amplius in se habuerant, quàm vota vnionis animorū, vt Principem eligerent concordibus sufragiis orthodoxæ Religionis.

ligionis verum hæredem, quod vt feliciter cedat orbi  
Christiano, Apostolicam se liberaliter conferre bene-  
dictionem. Expeditis litteris orationem habuit ad  
Rempl. responsum ab Illustrissimo serenissimæ Reipl.  
Primâte, tandem & à Marschalco latino idiomate bre-  
uiter & succinctè. Finitis orationibus Legatus eadē  
via armatis vndiq; septa in vr̄bem hora fermè nona so-  
le sub Horizontem properante reuersus est, Ipsis Nonis  
Iunii ægrè Ordo & methodus tractandarum Exorbi-  
tantiarum inrer Deputatos stetit. Vt inprimis de illis  
tractaretur, quæ gn̄alium status Reipl. exorbitantia-  
rum naturam & nomen haberent, quæq; potissimum  
ad formandum Principem conducerent. Tum demū  
succederent exorbitantiæ per Ordinem cuiusque Pala-  
tinatus. Lectusq; conceptus à Succematario Posna-  
niensi, quo præcauebatur in posterū Abdicationi Regum  
Poloniæ, vsq; id singulariter iuramento Principum in-  
fereretur. Hac occasione inuitati Prutheni, postulabant  
vt punctū de Indigenatus Iurib9 seruandis etiam iura-  
mento regio infereretur; grandem in se Reipl. comi-  
tionem concitarunt, subministraate materiam indi-  
gnationi Regnicolarum & contentionibus Rotâ Iura-  
menti, quæ præscripta est præfidiis Prouinciæ Laudo  
publico, omisso & neglecto Reip. titulo, quod (an ser-  
uato in vsum futuri consilio. Arte magis & ingenio,  
quam debito more & innoxia simplicitate actum sit?  
in ambiguo erudita in felicitate Reip. fata reliquere)  
solis statibus terrarum Prussiae ad obligandum alli-  
gatis. infestis ea tempestate magnæ notæ Ciuibus non  
exæquo vsui Indigenatus, cuius assequendi per gratiam  
fraternam modus, quib9 naturæ beneficio non conti-  
gisset, in vnus tum fauore rerū Pruthenarū Potentis,  
constitutus esse videbatur.

Secundo Idus Iuuii Director Rotæ equestris, cum

nonnullis punctis in quæ consenserat Ordo equestris  
Senatum ingressus est, paucis præfatis verbis, petiit, vt  
ea in quæ Rotæ equestris consenserat, iudicio senatû fir-  
marentur. tum demum recensuit, obnixè petere eque-  
strem ordinem, Exclusionem Condæi, ne inter Candi-  
datos censeretur, Camenecii Podoliæ, Luboula, Cra-  
couiæ bellicam prouisionem, Cæsaris nuntio præben-  
dam Audientiam cæteraq; puncta equestri sibi præ-  
scripta consensu. Clamore interim vniuersorum vr-  
geri Illustrissimus Regni Primas, vt declarationem fa-  
ceret exclusionis Condæi. Magna ea die rubori & confu-  
sioni propior facies Senatus fuit, insignes per honestam  
& amorem Patriæ aut notabili dedecore, turpiq; per-  
iurio sententiæ fuere. Rndissimus Archiepiscopus re-  
spondit, si postularetur, vt Senatus vniuersi nomine sen-  
tentiam proferret, præstare id se non posse asseuerauit,  
nisi consulto prius senatû si vt à priuato vox exige-  
retur: se libenter paratum esse in eum consentire, qui  
publica omniû concordia electus in Principem fuerit.  
tum obrutus omniû vocibus quod non satisfaceret deside-  
rio publico eiusmodi declaratione: secuti Archiepisco-  
pum Episcopus Varmiensis, Palatinus Kijouia, Potocius,  
Palatinus Culmensis, Gninskius, Palatinus Pomeraniæ  
Bokaius, Marschalcus Regni, Sobiescius, qui indi-  
gnationi propior, quam æquanimitati, inter iram de-  
loremq; medius: se quidem, vt sueuisset publico cedere  
consensui, sed si ad cæteros excludendos Candidatos,  
a b Equestri Rota pari ferocitate vrgeretur, se liben-  
ter à Senatu absentaturum, & munia officii sui male  
relinquere, quam eam pati seruitutem, vt quæ iubere-  
tur, exequi cogeretur. Cancellarius M. Ducatus Li-  
thuanie Pac, proplexo sensu, vacillante oratione ex-  
clusio.

clusionem inuuit, ceteros imitatus, qui nec Reipl. satisfecerunt, nec suam conscientiam satis tutati sunt. At optimi Senatorum, inter quos Princeps Czartorius Episcopus Cuiuuiensis, insignis voce & amore Patriæ, diuinam dixit esse voluntatem & singulatam DEI uocationem: ut Princeps Condæus excluderetur, cum hoc negotium non solum tanto ardore bonorum Ciuium, sed etiam mirâ concordia vrgeatur. omnium unifornibus sententiis incapacitatis ad Regnum Poloniæ dominatus est. Accidit inter Senatorum uota, ut ex impatientia siue commiseratione ruentis iam Condæi conurgerent Custodes eius fortune, qui ad Archiepiscopum progressi, quærebant consilio occasione locum, quomodo Senatorum sententiæ, differri in sequentem diem aut disturbari possent, sed ingenti clamore erupentibus inter crebras voces contumeliis, continuisq; acclamationibus ad suas sedes compulsi sunt. Tum reddita Senatoribus dicendi quies, finitisq; sententiis, impetrata uoce Dembicius Vexillifer Sendomiriensis, redactam in Ciuium pectora fraternam confidentiam congratulatus Reipl. à Rûdissimo Primate petiit, ut reali declaratione Exclusionis Condæi, populorum desiderius satisfaceret. Qui arrepta uoce inter pudorem & indignationem anxius, plus se, quam peteretur dixisse & Reipl. donasse, quod se nobili cuiq; consueto & iure debito priuaret suffragio, dum illud adullius ex candidatis Electionem proferre noller, nisi in quem uniuersa Respl. constanti concordia consensisset. Ea quoq; oratione quamuis flagranti popularitate & in speciem fauorabili, non est uisus Ciuium animis satisfacisse, rursusq; à Caruicio subiudice Nouæ Ciuitatis

onagi

agitatatus, tandem nihil ad illata respondens, à Pia-  
secinscio Capitanco Braclauienti interpellatus est: vt  
miseretur populorum turbæ, illius solummodo decla-  
rationem præstolantium, cum tot Episcopos dignitate  
& sanctitate pares dignum esset, si non præire exem-  
plo, saltem imitari. tum vrgentibus omnium acclama-  
tionibus flexus, quasi vicissitudinem rerum humana-  
rum irrideret, serenâ facie inter strepitus vocum clarâ  
voce pronuntiauit: & ego iam excludo; vitato no-  
mine Condæi, cuius cum studium relinquere coactus  
fuisset, charitatem tam subito nondum deponere po-  
tuerat. Condæanarum partium & potentem & secre-  
tò firmatam consiliorum factionem, dispositione fato-  
rum & vrgentibus causis secundis concidisse. an hos-  
per superbiam in Ieui posuisse equestris Ordinis curam,  
quorum extenuata factionibus cui fuerat autoritas:  
vnde nec in Rota. Equestri impediuisse exclusionis  
Condæanæ consensum. nec Marschalcum sollicitasse  
vt hanc materiam transmitteret, difficultaret, aut sal-  
tem postremo loco inter cætera puncta locaret. quo  
Senatoribus honestus prætextus huius transmittendæ,  
de aliis materiis dicendi facultas fieret. an falso fidu-  
cia ingenii sui cò ductos, vt quoscunq; modos & ratio-  
nes contra se initos, nullo reusæ discrimine eludere pos-  
sent: an nimium propriis viribus & externæ potentie  
creduli, nunquam tam facile id euenturum crederent,  
quod euenit. Actum deinde de Legato inuictissimi  
Christianorum Cæsaris excipiendo, commissaq; Depu-  
tatio Senatorum ad excipiendum Legatum Rndissimo  
Primate, qui conquestus in eum, quod iam monitus  
ex consilio Senatus, alias ad Rempl. litteras à Cæsa-  
re non procurasset, in quibus titulus Serenissimæ Reipub-  
licæ



proſcriberetur, cum tam vilibus titulis tantæ Reip.  
Maieſtas dehonoretur: addiditq; conſilium, vt lit-  
teræ ab eo à Repl. non acciperentur, ſed oretenus,  
mandata ad Repl. Principis ſui proferret, ac in po-  
ſterum curaret, vt à Cæſarea Maieſtate, conuenientes  
Reipl, polonæ tituli darentur ac litteris præſcriberen-  
tur deſtinataq; in ſequentem diem eius exceptio.

Tertio itaq; Idus Iunii honorificentiffimè a Repl.  
exceptus eſt, magni exercitus faciem repræſentanti-  
bus Magnatum Poloniæ copiis cum fere 88. vexillis  
via ornata eſſet ad Rotam venienti. Senatores mo-  
re conſueto in Rota equeſtri conſedere, Legatus Cæ-  
ſaræ Maieſtatis introductus, tam per Equeſtris quam  
& Senatorii Ordinis ſæculares tantummodo Deputatos  
exhibita Reipl reuerentia, intermedius Regni Mare-  
ſchalco & Equeſtris Rotæ Directori conſedit. Litte-  
ras à Cæſarea Maieſtate ad Repl. non dedit, admonitus  
ab Illuſtriſſimo Primate, non fore Reipl. gratas, quod  
in litterarum inſcriptione, debita non cohonestata eſ-  
ſet Reipl. honoris prærogatiua; Pauca præfatus ver-  
ba inſtructionem legit, non denegato ſereniſſimæ  
Reipl. Rūdiſſimis, Excellentiſſimis, Illuſtriſſimis, Sena-  
toribus titulo. Vota ad Repl. Polonam Cæſaris e-  
rant, pro concordia eligendi Regis, amicitia cū Aſtria-  
ca domo ſemper communis Regno Poloniæ, Reipl.  
recommendatio. Poſtremò inſtantia pro Phillippo  
Wilhelmo Palatino Rheni Principe Neoburgico ad  
Repl. laudes eius à conſtantia fidei orthodoxæ, ma-  
turitate ætatis, pari vigore corporis & mentis regimi-  
ni afferbantur. Reſponſum a Rūdiſſimo Archiepi-  
ſcopo: Excellentiffimè Dñe Extraordinariè Legatè à  
Sæcra Cæſaræ Maieſtate &c. tum & à Mareſchalco  
Equeſtræ

Equestris Ordinis stylo laconico: Finita Legatione,  
eâdem viâ armatis strepente hora decima post occa-  
sum solis in urbem reuersus est.

Quarto Idus Iunii destinata dies audientix Lega-  
to Regis Gallix, ob aduertiam eius valetudinem, vt re-  
fidens eius Oborcius Capitaneus Liuenfis vulgâuit in  
Rota Equestri, seu confectus mærore erat, siue vt In-  
dignationem Reipl. ostentaret: an vt instante Fente-  
costis solennitate, festiuo die grandiori pompa, con-  
fluentibus vndiq; pro actu suffragiorum, Magnatum  
copiis ad Rotam equestrem: velut in triumphum du-  
ceretur, irrita fuit. Totumq; fere tempus eius diei in  
obiectionibus loci standi mutuisq; concertationibus  
consumptum fuisse, nullo effectu. Nisi Zarembo Iu-  
dex Sendomiriensis multa egregiè locutus, modera-  
tionem affectibus finemq; consiliis attulisset. Anti-  
quo Maiorum vsu & prudentiâ receptum dictitans, vt  
quoties eiusmodi materix Reipub. considerabilia  
exasperarent negotia, per Deputatos ex Rota &  
Marschalcum excusso processu an obseruatis omni-  
bus iuris gradibus ac terminis condemnatio stetit,  
validitas eius arcendi à loco standi definita per  
Marschalcum, declarabatur. Si infamia aut Bani-  
tio perpetua alicui ex Generalibus iudiciis Regni Ca-  
pturalibus aut Palatinatum Particularibus obuenerit  
non aliter locum standi aut suffragium eligendi Re-  
gis recuperare poterat, nisi per treugas, Decretum  
in iisdem iudiciis suspensionis causæ ad iudicia Regni  
Tribunalitia procurasset. Nam sub tempus interre-  
gnorum condemnationes in contumaciam obtentæ  
à loco standi minimè arcere, si ex personali decretæ  
fuerint, semper & vbiq; valere. Postremò addidit, vt  
festi

festi dies Lunæ & Martis áudientijs Legatorum desti-  
narentur in camq; itum sententiam, ad vitandam Re-  
ipub. negotiorum confusionem, ob confluentes iam  
vndiq; communis motus copias & Generalem Eque-  
stris Ordinis confluxum, qui moræ impatiens, ordi-  
nem tractandorum Reipub: negotiorum turbaturus  
presumebátur, ita tamen expediendas censuit Lega-  
tiones ne publicorum consiliorum tractarentur mate-  
riæ, quominus quidquam Christianæ pietati deroga-  
retur.

Dies quo linguis igneis in Apostolorum pectora  
illapsus Paracletus mortalium pietate celebratur, in  
Christiana transactus deuotione: nox cele bri vrbis Var-  
saviæ incendio clara fuit, tertia ferè parte vrbis incen-  
dio ábsumpta aut á prædonibus direpta. Nihil in eo  
miserabili vrbis casu omissum scelerũ: urbs velut belli im-  
petu capta, furore latronum diripiebatur tota vrbe præ-  
lia & acies defendentium aut inuadentium alienas for-  
tunas, ad motæ pluribus in locis à nefarijs ardentes fa-  
ces domibus, vt cuncta præda & incendio absumeren-  
tur. Spectantibus tam atrocia fácinora præcipuis  
Magnatum, nec prohibentibus, quasi Troiæ fauillas  
aut Romæ incendium cum impio Nerone illuderent  
spectarentue. Dunai sæuitia flammæ, Platea pistorum  
& à cereuisia áppellata, probè muratæ & instructæ ædes  
varijs dominorum Equitumq; splendoribus penitus  
consumptæ, corruerunt. Crebra ea tempestate incen-  
dia præcipuas Regni vrbes áfflixere. Gedáni quartá  
Iuni j, quæ in diem Martis inciderat, atrox incendium  
à condita vrbe nunquam áccidisse compertum, a Do-  
minicanorum ædibus erumpens, per diei noctisq; spa-  
tium continuo vrbe[m] vastauit iuuante septemtrione,

versus veterem Ciuitatem, donec absumptis sexaginta palatijs totidemq; muratis ædibus, lata plateæ vacuo spatio & Raduni fluii aquis cohiberetur. Non confecto ante multis diebus tempore, Camenecij Turris Porta; Arcis ictu fulminis disiecta est. Arserat & Cracouia prandiumq; a Præfecto vrbs Casimiro Regi Sueciæ instructum, velumq; Varfauix atq; Cimborium, cæteraq; prodigia; manifesta potius iræ Numinis in rem Polonam, quam amore paternæ admonitionis, post continuata scelera euenere.

Sexto Idus Iunii destinatum tempus Audientix Legato Galliarum irritum fuit: respondente Legato, se iam amplius nullis indigere Reip. Polonæ fauoribus: Sequenti die sperabatur Legatio Legati sueciæ; sed cum literis ad Reuerendissimum Regni Procancellarium datis scripsisset, sese nulli in Orbe Principum loco in expedienda Legatione cessurum fuisse, quod ad præsens intermitteret nondum se omnia requisita à suo Clementissimo Rege habere causauit atq; excusauit: Datumq; spatium audientix Principis Brandenburgici Legato Oberbecio, qui serò nimis diei veniens, nec tam frequentibus satellitum turmis, nec tam copiosò Senatu & equestri ordine, pluribus iam dilapsis exceptus est. Commendato Reipub. fauoribus Duce Neoburgico Comite Palatino Rheni transacta legatione discessit.

Septimo Idus Iunii, Insignis pluribus externorum Principum legationibus dies propter maturiorem ad Rotam conuentum omne tractandarum exorbitantiam extraxit tempus. Quatuor enim Legati continuo perorarunt magnificentiam promissorum, speciosò amicitix ambitu, insigni Reip. reuerentia Maiestatem augen-

augentes & decorantes. Ac imprimis Neoburgi Prin-  
cipis Legatus solito exceptus decore, literas per Re-  
ferendarium Regni (vt moris est) ad Remp. dedit  
Conuenientissimo Reip. præscripto titulo, tum & Re-  
uerendissimo Primati. Deinde Oratione habita  
Principem suum Reip. iam votis omnium Chrtstiano-  
rum Principum commendatum & Iudicio Vládisslai IV.  
Regis Poloniæ Polonis notum & insignem, recom-  
mendauit. Magnificis promissis fauorem concilians,  
nisi fidem promissorum nimia magnitudo corruppe-  
ret. Accepto Responso à Reuerendissimo Primatè &  
Mareschalco Equestris Ordinis vacuæ Rotæ pomæri-  
um pedibus emensus, Archiepiscopum ac Illustrissimũ  
Senatum salutauit, tum & ab Archiepiscopo vix qua-  
tuor passus à sedili progresso resalutatus ad Rhedam  
reductus est in Urbem reuersurus. Interim dum Lo-  
tharingiæ Principis Legatio expectatur: permissum  
Legatis Ducis Curlandiæ & semigalliæ Legationis sue  
negotium expedire. Sedes eis locusq; Legationis ex-  
pediendæ assignatus non inter Mareschalcos, vt aliis  
externorum Principum Legatis sed in latere dextro,  
Palatinatum Prussiæ is locus erat. Qui supplicibus  
datis ad Remp. literis Puckamer in ratione sua non-  
nullas iniurias conquestus est, fidemq; promissorum  
Principi suo exolui à Rep. petiit. Responsum ab Il-  
lustrissimo Primatè: Generosi Domini Legati, Ducis  
&c. Curaturam Remp. expeditis negotiis magis Remp.  
afficientibus vt & iustissimis desiderijs illustrissimi Du-  
cis satisfiat. Subiit faciem Reip. & Legatus M. Tar-  
tarum Chan, cui à latere dextro prostratum erat tape-  
te in terra vt eorum est gentilis consuetudinis. Verum  
ille absentiam Regis Caucasus, sellam petiit datum est

illi sedile tapeti contactum; tum barbarus ingressus  
Rotam, versato in hanc & illam partem inepto corpo-  
re ad Mareschalcum Regni facie, posteriori parte ver-  
sus senatum confedit. Donec ab interprete admoni-  
tus aliter considerè iussus est. Tum per interpretem  
Remp. à Principe suo amice salutauit. Factorum  
Podhaieensium & amicitiae cum Rep. perennitatem  
Principem suum animitus vouere illamq; à Rep. ex-  
petere. Tum Illustrissimus Archiepiscopus per Inter-  
pretem quari iussit ex eo quomodo Illustrissimus Chā  
Soltan Galga & Nuradin Sultān valeret: respondit: O-  
ptime illos valere. Tum demum punctatim Legato  
Tartarorum ad reliqua per interpretem dicere  
præcepit. Cupere Remp. pridemq; vouisse sibi cum M.  
Tartarorum Chan & yniuersa eorum gente (illi hoc  
vocabulo Krym vocant) amicitiae perennitatem utq;  
ab ipsis Constanter seruetur obnixè rogare & adhor-  
tari. Tum surgens è sella tecto capite velut stipes du-  
cente cum interprete ad Archiepiscopum progressus  
litteras à Principo suo reddidit, Rursumq; ad Mare-  
schalcum Rotæ Equestris deductus redditis literis in  
sella confedit, pluraq; se mandata habere ad Remp.  
déclarauit: Responsum est illi à Reuerendissimo Ar-  
chiepiscopo & Mareschalco concessuram illi tempus  
Remp. expediendæ Legationis cum voluerit, modo  
prius interpretis operâ commentæ literæ à Rep. legi  
possint. Iam Legati Lotharingiæ Principis subitan-  
tiam Electoralis Campi cum ne quid temporis inter-  
otium abiret inuitatus est Referendarius Regni spiri-  
tualis ad legendas literas ad Remp. à Magno Rege  
Britanniæ scriptas: officiosæ erant & ad eligendum  
Principem Neoburgum inuitabant. Inter Cæteros ti-  
tulos

tulos suos Rex Angliæ inscripserat & illum Epistolæ;  
Fidei defensor; ad arrogantiam magis & peruicaci-  
am quàm ad magnificentiam spectante ambitione.  
Vix plene lectis literis, aderant Legati Principis Lo-  
tharingiæ: illis obuiam egressi Marschalci humaniter  
salutatos in Rotam Equestrem introduxerunt mediq;  
inter se subelliâ concesserunt. Non dum Legationis  
exordium erat & iam fauor Cæli aderat. Molestum im-  
bribus aut fædum nubibus Cælum in eam subito sereni-  
tatem effulsit quod non sine omine propitii Numinis  
palam deprehenderetur. Coarctata repente Rota Mo-  
tis in dextro latere sedibus coalituræ in vnum Reip.  
Publicæ signum: Literæ ad Senatum per Referenda-  
rium Regni spirituales lectæ: ad Equestrem Ordinem  
per Marschalcum rotæ, plena humanitatis & obseruan-  
tiæ totius Reip. Id tamen Archiepiscopo displicere vi-  
sum est quod in tituli præscriptione nulla sui mentio vt  
a cæteris facta esset, ac velut per iniuriam dignitas eius  
imminueretur. expeditis literis illustri facundia Demo-  
sthenem aut Tullium ore ferens insigniter pro Princi-  
pe suo Abbas latagebat: Nihil omissum ab eo in ea o-  
ratione quod aut dignitati Serenissimæ Domus Prin-  
cipis sui derogaret, aut inclitæ Reip. Polonæ honori  
non tribueretur, aut ad plebis conciliandum fauorem  
non valeret. In pro missis nihil modicum aut nimi-  
um quod aut sperni tanquam vile donum à Rep. pos-  
set, aut fidem fallere, ob præstandi incapacitatem. Va-  
rio motu animorum ea accepta Legatio plusq; valuit  
in pectoribus Nobilitatis ad fauorem vna Lotharin-  
giæ Principis Oratio, quam immensa Neoburgici Prin-  
cipis promissa. Datum responsum à Reuerendissimo  
Archiepiscopo Illustrissimo Legato Serenissimi Prin-  
cipis

cipis Lotharingæ &c. Polonos Regem electuros quæ  
ipsis fata Cælumq; destinauerint. Expedito respon-  
so Marschalci Equestris ordinis Consurrexerunt sedi-  
bus suis Legati Lotharingæ Principis salutatoq; co-  
mitter Primatæ ac vniuerso Senatu, multisq; Illustrium  
Equitum, in urbem magno applausu ac specioso ante-  
quantium turmarum comitatu, sequentium cohör-  
tium satellitio reuecti sunt.

Decima Tertiâ Iunii intermissum opus exorbitan-  
tiarum cessatum ab omnibus consiliis cum omnia in tu-  
multum eualescerent, terrore cuncta velut in capta ab  
hostibus vrbe replerentur, plerisq; supellectiles suas  
& quidquid pretiosi ad manum erat, in templa, mura-  
tas fornices, aut locorum abdita recondentibus. Con-  
fluentibus vndiq; copijs Equestribus expeditione bel-  
licâ euocata nobilitatis: in Rota non alias spectata  
toto tempore Comitiorum ingens multitudo: pro val-  
lo Rotæ, Cracouiensis & Sandomiriensis Palatinatus  
spectata signa. Ia Rota dissonæ voces perorantium  
aut vociferantium nullum discrimen, minæ aut sedi-  
tioni proximæ voces audiebantur. Expediti nihilo-  
minus Legati à Mareschalco Rotæ ad Senatum, qui  
inuitarent Archiepiscopum cum Senatu, vt ad illos de-  
scendere dignarentur, eorumq; consensum super pro-  
longatione exquirerent. Cum vltima dies instaret Co-  
mitiorum. Conuocatis ad suam sedem Senatoribus  
ac dimissis Responsum ab Illustrissimo Primatæ, con-  
sentire Senatum super prolongatione & se libenter itu-  
rum ad Rotam si ita cæteris Senatoribus videretur.  
Cum hac declaratione abiit vnus Legatorum ad Ro-  
tam, cæteri manserunt in Senatu sedentes donec col-  
lega



lega reuerteretur. qui reuersus, exhibita Senatui reuer-  
rentia, gratissime susceptam retulit declarationem,  
ab Equestri Ordine Illustrissimi Senatus. Sed cum  
non solum super prolongatione, verum etiam de mo-  
do ac determinio prolongationis Equestris Ordo cum  
Senatu inire Consilium velit, obnixè eorum rogare  
presentiam quorum authoritate, fulciretur. Tum su-  
bitò consurrexere Senatores Rotæq; ingressi sunt. Actū  
de prolongatione per declarationes Palatinatum  
concedentibus alijs per diem veneris & Saturni alijs  
etiam per dies Lunæ & Martis nec ultra asseueran-  
tibus pati posse prolongationem.

Finitis declarationibus Dapifer Regni  
manifestavit se non concedere, vt Exorbitantiæ per  
Deputatos in Arce Regali tractarentur, voluisse Fra-  
tres suos quorum nunc declarationem faceret, vt in  
Rota expedirentur: nec officere consensum publicum  
vt in Arce tractarentur cum cessante complexione Co-  
mitiorum, & transacto iam eorum tempore: vt prolon-  
gationem pro libitu, ita media quoq; tractandorum  
negotiorum concedi. Tandem multorum consensui ce-  
dēs id quoq; se donare publicæ concordix protulit, dū  
modo Magnifici Deputati eadem die, consultorum in  
Arce Equestri Ordini redderent rationem. Tum Il-  
lustrissimus Primas excusata mora Legati Regis Sue-  
cix, ob defectum splendoris nondum sibi suppeditati  
à Serenissimo Rege Suecix vt condigne comparere  
posset in facie Reip. tempus ei ad expediendam Lega-  
tionem assignari petiit in diem Solis post meridiem ac-  
ceptoq; consensu sessionem Rotæ soluit. Postera die  
tractabantur in Arce Exorbitantiæ sed aduentu; Piasc-  
cincij, qui Deputatos ad Rotam à Marschalco inui-  
tabat.

tabat. Sic volente Equestri Ordine soluta ex tunc  
Deputatis Sessio est. In Rota obiectionibus loci stan-  
di, lectione supplicum libellorum tempus extraheba-  
tur cum ob defectum praesentiae Senatorum nihil in-  
gravioribus negotijs concludi posset. Archiepiscopus  
per delegatum suum absentiam suam excusavit  
ob gravem sibi valetudinem. Locus interim Internun-  
tius Ferrarum Prussiae quem continuo a Mareschalco exi-  
gebant inter Palatinat9 Ploccen9 & Lancicic9 assignatus  
est. cum veteri sede a Sandomiriensis Nobilitatis multi-  
tudine pridie loco moti essent. Interuentu Procancel-  
larij Regni ceterorumq; Senatorum grauiores quoq;  
materiae agitari ceperunt. Tum requisitus Succame-  
rarius Calisiensis vt conceptus trutinatarum Exorbi-  
tantiarum legeret multaq; puncta assensu publico com-  
probata sunt; reliquorum lectio in sequentem diem  
destinata sessioq; eius diei soluta est a Mareschalco E-  
questri. Exorbitantiarum moderationem alijs per De-  
putatos permittentibus, alijs improbantibus.

Sequenti die actum in Arce de Exorbitantijs: tra-  
ctatisq; nonnullis materijs & probe expensis discessum  
ad Rotam Equestrem vbi in praesentia Senatorum ad-  
occafum ferè solis summo motu tractatae praesidij Ka-  
menceensis aliarumq; arcium in confinio Reip, exi-  
stentium fortificationis earumq; securitatis rationes.  
sub occasum vergente iam Sole Conceptus Exorbi-  
tantiarum requirente Senatu lectus est a Succamera-  
rio Calisiensi nonnullas materias approbantium aut  
improbantium vario sensu finita eius diei & soluta per  
Procancellari M. D Lith. vt moris Patri j est Sessio. nam  
vbi Senatum misceri Equestri Ordini venerit, vti om-  
ne regimen ac potestas in Illustrissimum Primatem di-  
recta.

rectio vocum à Mareschalco Regni vel Sigilli cultodibus vtriusq; Ordinis, dispensatur. declaratio nihilominus Nobilitatis, Palatinatus Cracouiensis solutionem sessionis præuenit, quâ seriò postulabant vt præmonerentur Illustrissimi Senatores à Mareschalco Regni qui Patrisfamilias officium in Repub. haberet, vt omnes die Lunæ præsentés interesse vellent consilijs: cum id non ex dignitate Equestris sit Ordinis, quod tam pauci Senatorum eorum adessent consessui cum de summis Reip. tractetur negotijs. Die Dominico orto iam Hespero Legatus Regis Sueciæ aliorum more exceptus est, redditis literis commendato breui ac leui suada Comite Palatino Rheno, acceptoq; à Reuerendissimo Archiepiscopo Rotæq; Mareschalco responso, in urbem maturo iam vespere reuectus est. Eadem nocte Reuerendissimus Archiepiscopus ex residentia Stawki dicta transtulit se cum omni supellectile in arcem. cum ortu solis percrebuit fugæ fama omniq; Ciuitas ac populus terrorem induit armata Repub. bello quondam hostili vix vsurpata, tum per munimenta urbis dispositæ steterè excubiæ. Consilium manè in Rota inhoatum est & ob paucitatem Senatorum ad horam secundâ postmeridianam limitatum Stantibus in circuitum valli instructissimis Equitum cateruis Numerosis iam in Rota Senatoribus ac fere vniuersis præsentibus præter Archiepiscopum, vrsere nonnulli quibus cura protrahendorum comitorum & eludendorum Equestris militiæ armorum conatus fuerat: Vt iuxta leges Confœderationis reliquæ exorbitantiæ, quæ ad formandum Principem pertinerent communi consilio expedirentur. eâ vox spretâ à populo & reiecta asserentibus vilia hæc & minimè proficua Reipub.

ipub. esse consilia, quorum iam tempus effugera. Ergo versi ad rumores, quibus tum maximè publica miscebantur negotia, requisuere literas ad Procancellarium Regni a Principe Neoburgico scriptas. E contra impatientia partis aut pari arte contendentibus vulgatá fama de literis à Principe Lotharingo ad quendam Senatorem scriptis. Deputati tres ex Equestri Ordine ad Archiepiscopum qui eas exposcularent nomine Reip. Interim Succamerario Lanciciensi ab Illustrissimo Procancellario reddita Epistola Neoburgi Principis lectaq; ab eodem sonorá voce, rediére & nunti ad Archiepiscopum missi ac Epistolá Lotharingi Principis Marschalco Rotæ attulerunt, ille moto aliquantisper in medium rotæ subsellio suo legere intendebat cum; summis acclamationibus obrutus prohibentibus alijs lectionem, alijs minis deterrentibus, desistere ab incepto coactus fuisset. Illo grandi clamore excitæ quæ pro vallo stabant Cohortes velut grando turbine raptus insiluere vallo signaq; propè ipsis illata munimentis: explosæ aliquot bombardæ. Impatiens talium Princeps Czartoriensis Reuerendissimus Episcopus Kuiauiensis, impetrata à Marschalco Regni voce (nam ambo tum Ordini libertatis vocum prædebant) arguebat confusionem consiliorum, improbabat modum sub armis consulendi, increpabat temeritatem per exonerationes bombardarum publicam securitatem requirebat authoritatem à Marschalco Regni vt potè patrefamilias Actuum publicorum ac totius Reip. eiusmodi confusionem coercendi. Progressus ille ad Portam Magnæ Poloniæ, admonebat adstantes cohortes modestiæ à quibus infestis vocibus exceptus, quodq; inter minas ad Capulum retulisset manum, parum abfuit quin sclo-

po peteretur erumpentibus palā atrocibus indicijs magna  
confusionis, regressus est. Hæc & his non procul aliena  
loquente adhuc Episcopo; quidam è Palatinatu Ra-  
uenſi alta voce dicere non erubuit: in vos sacerdotes  
hæc arma parari & explodi. Altum hæc voce Episco-  
po impositum silentium, ille omnium obrutus clamori-  
bus: alijs increpantibus nefariam vocem, requirentibus  
alijs personam; vt tam impio ausu violata boni Ciuis  
authoritas Reip. iudicio vindicari posset. Repente-  
vulgata fama inquiri in Ciuem pro libera voce. Ve-  
lut de summa libertatis ageretur, accensus iramiles stricti-  
oribus vallo incubuit Ordini, & vt terröre quoq; im-  
pleret animos, exoneratis in vno puncto temporis a-  
liquot millibus sclopetorum, ingenti fragore detonu-  
it. Miles cohortium quæ portarum aditus sedserant  
exemplo aliarum ductus, paria ausus est, explosaq; in  
circuitum valli sclopetis, iusurantibus per Rotæ spacia  
stridentibusq; globis tanto fragore & terröre: vt Sena-  
tus selectusq; Eques, sedibus suis prorumperet: multi  
suspensis ceruicibus ad terram corpora velut Coturni-  
ces reclinant, plures metu anxij hæc illuc discurrerent  
nonnulli grauius periculum suspicantes ac verentes, ad  
portas ruerent. Episcopus Plocensis; Gembiccus,  
Palatinus Lanciciensis Leszczynscius, Palatinus Ino-  
wroclauiensis Zegocius, Castellanus Posnaniensis Gry-  
maltouius. Castellanus Brzczinensis Skrzynscius dum  
ad portas ruunt vario dedecore & turpibus excepti cõ-  
tumelijs; breuioribus sclopetis in pectora eorum dire-  
ctis cum summa ignominia reiecti sunt. Bini in vallo  
occisi, tertius per manum globo traiectus sine pericu-  
lo vitæ. Extra munimenta idem casus temeritatis a-  
liquot inuoluit homines. Meritò ea tempestate obses-

um dixisset Senatam ac vniuersam Rempublicam vi-  
ribus suis manibusq; concidere potuisse: nisi atrox pe-  
riculum & proximum iam exitum fortuna Reip. a ci-  
uium ceruicibus auertisset. Hortantibus Marschalcois  
multisq; suadentibus ciuium, agrè senatus composi-  
tus est suisq; sedibus redditi vniuersi. Marschalco Eques-  
tris Ordinis inuitante ad Rotam de mane in sequen-  
tem diem, infamata sessio soluta est. quinq; tantum iē-  
rentiæ consumpta notabili parte temporis idq; inter  
horribilem strepitum vix expediri potuerunt. Iluxe-  
rat dies decima octaua Iunij cum indictum à Rñdmo  
Primate consili in Arce, addisunge quod vniuerso Sena-  
tus inuitabatur. Propositum à Rñdmo. Archiepiscopo,  
tristi præmissa quærela supra atroci periculo Senatus,  
quomodo securitati publicæ prouideri posset, & an es-  
set modus coercendæ nobilitatis? vt quieta Reipubli-  
ca pateretur consilia simul retulit: suasu suo supre-  
mum Marschaleum Regni misisse ad singulos Palatina-  
tus nuntios suos cū literis super eo negotio. sed statim re-  
sponsum à nonnullis adstantium, nobilitatem accipere  
litteras à Marschalco Regni noluisse: quippe nō egere a  
lieno cōsilio monituue, vbi de authoritate & salute Reip  
ageretur: amplexuros se nihilominus libenter modis  
progressus Palatinatus saadomiricensis, vt Reip: consi-  
lijs, quo quiētius expediri possent, per Deputatos so-  
lum è medio sui interessent. Postremò non è re id Re-  
pub. esse iure iurando asseruit: vt modus aliquis aut  
ordo eligendorum Principum in futurum posteritati  
præscriberetur: fuisse iam olim dictitans id consilium  
in maiorum nostrorum pectotibus. Plures eam vocem  
secutæ sententiæ, seditioni quàm consilio propiores.  
Putabant ea tempestate secretioris sapientiæ viri deesse  
con-

consilium Senatui, nisi egregia Castellani Leopoldi  
liensis & Illustri. Episcopi Cuiaviensis voce restaurata  
opinio, consultum publicæ famæ fuisset. Præmissa enim  
dolor præsentium non in difficili positam esse, rationem  
sedandi motus, & fortiter se præsumere acturos  
penitentiam Fratres: ubi aduerterint, quantum incon-  
sultâ temeritate in seipsos iniurijs, Rempublicam offendi-  
dissent. At eligendi Regis negotium supremam Rei  
publicæ difficultatem, hic saltum hic nodum Gordium  
esse, vtinam maturo consilio non gladio rescindendū.  
porro in tanta animorum dissidentia & accensis nimio  
studio partibus, desperare se prorsus de prospero Elec-  
tionis fine: nisi extraordinario modo eligendi Prin-  
cipem Reipublicæ integritati consulatur, præmissa sei-  
licet ieiunio & celebri cultu Diuinæ Maiestatis per om-  
nes aras Templaq; vt numen cæleste supplicibus de-  
precationibus tandem Patriæ nostræ placaretur. Po-  
stera die scriberentur nomina duorum candidatorum  
per duas schedulas, eaq; sacro calici insertæ, quarum  
alterutra à Triennali puero eximeretur, prolata: cuius  
nomen præferet ille Electore Deo, Iudice fato Rex Po-  
lonis regnaret. Hac ratione omnes factiones, ambi-  
tus, fraudulentas inter se concertationes, odia demū  
& inuidiam vitari externorum Principum. Huic con-  
silio qui contradiceret, hunc impietatem deserere nol-  
le, factiosum & iam hostem Reipub. esse, perduellione  
palam & manifeste profiteri. Idem se sentire Reue-  
rendissimus Episcopus declarauit egregia moderatio-  
ne decorem afferens suæ sententiæ, consilio publico  
vtilitatem: Immerito Polonos immori Candidatorū  
suorum amori, & illorum causa ciuilia ad dissidia, en-  
tes, sanguinem necesseq; ruere, cum necdum electi nobis

Prote

Protectionem, neq; nos illis vt iam nostris Dominis  
obedientiam præstare teneamur, Se illi iudicio inte-  
græ mentis potius insistere, nec quidquam in profe-  
rendo erubescere, indignum esse proprio Polonos san-  
guine externæ potentix parentare, satio esse amborum  
Candidatorum spectare funera & extingui cum cor-  
poribus ambitum, quàm vnus ciuium videre mortem  
& sanguinem. Rursum illacrimanti despectui suo  
Palatino Lanciciensi Leszcynio: ad quærelas & dolo-  
rem Senatores reuoluebantur, cum oportuna decla-  
ratione Vexiliferi Sendomiriensis, eorum merori suc-  
cursum est: Pœnitere iam facti fratres & vt pœnitent-  
tiam testificarentur vsos modestiã esse, neq; interfutu-  
ro Reip. consilijs vniuersos nisi per Deputatos. Tum  
Illustrissimus Primas obnixè rogabit Senatores, vt eo-  
rum quisq; suis fratribus persuaderet ne armati veni-  
entes ad Rotam, reliquum tempus consulendi de bo-  
no publico omnemq; Reipub. eriperent securitatem.  
Isq; finis tam operosi consilij fuit. Interiecto modico  
tempore Marschalco Equestri præeunre exemplo, pau-  
ci numero, nam vix trecenti confluerant ad Rotam,  
equites nondum recollectis ex hesternò terrore animis  
continuante velut cælo ingenti turbine ac procellis  
confusionem, manifestam detegente iram in ciues so-  
lo Polono sibiq; graues: ob dilatam à Deo destinati, à  
gratij Horoscopi fauoribusq; Planetarum iam Ele-  
cti Regis Electionem. Ibi Marschalcus pauca præfa-  
tus de insolentia Nobilitatis conquestus est, sibi enim  
imputari quod aliorum temeritas deliquisset, nisi ad  
præsens securitati Reipub. consulerent, se Officium  
suum ac insigne authoritatis Scipionem, quem  
dextra gestaret, deponere, & in manus Reipub.



fratrumq; à quibus accepisset regnaret: a vexillifero  
Sendomiriensi cohibitus est. inuentumq;, medium,  
vt nobilitas armata iusto spatio à Rota confisteret.

Eirmatnm id quoq; communi concordia vt poste-  
ra die in Rota nullarum materiarum tractatus promit-  
teretur, præter formationem Paëtorum Conuentorum  
& condescensionem ad Suffragia eligendi Principis.

Aderat dies Mercurij Sydere illustris honorum  
Principis, cæpitq; Respublica felici illo temporis pun-  
cto fati sui nescia honorata iam agere. nam electo ea  
die Principe, quæ maior contingere Reipub. fortu-  
na potuit quam eius perfectio? cælum serenum erat  
& amana temperie, nec æstu nec vento nimium, præ-  
sagium futuræ animorum concordia fuit, Decima fe-  
re hora diei imminabat: cum Marschalcus. Equestris  
Ordinis persuasus insigni Nobilitatis frequentia, in fre-  
quenti quamuis Senatu sessionem inchoauit. Factâ  
Propositione de non admittendis alijs materijs præter  
solam nominationem Principis; asserens id hesterni  
consensu firmatum immutari non posse: properabatq;  
ad lectionem Paëtorum Conuentorum. At quibus cal-  
lidè scelestum inerat remorandi aut frustrandi salubria  
Reip. consilia studiū, eum nondum apud eorum Principa-  
les super eligendo Principe alienâ fati & Reipl. salute  
vota essent expedita, amorem boni publici,  
leges nimirum Confederationis de non ad-  
mittendo electionis actu, nisi prius exorbi-  
tantia expedirentur, obtendebant. Palatinatus Podoliz  
Nobilitas firmâdo fortalitio Camenecensi insistebat.  
Multi asserabant: non decere ad solemnitatem nomi-  
nationis condescendere, spectata noabili Senatus in-  
frequentia. Igitur nomine publico director Equestris  
Ordinis assignauit Deputatum, qui Reuerendissimum

Archiepiscopum Nominis Reip. ad Rotam inuitaret.  
Sed pluribus dissidentibus irrita ea legatio fuit. Non-  
nullis postulantibus quibus grata & rata in Arce con-  
silia, quæ quidam Nobilis arguendo, Capitaneo Var-  
saviensi quod sub noctem Gallos Vagari per Arcem si-  
neret, obieceratq; Catilinaria foueri in sede Regali cõ-  
silia: utq; priuatos satiùs ad Archiepiscopum nomine  
suo Marschalcus subdelegatos mitteret, postulauit. Il-  
li iussa Marschalci sequendo properauere in Arcem,  
his & similibus concertationibus generosi pectoris Ma-  
gnifica voce ab Illustrissimo Procancellario Regni ob-  
uiam itum: qui efficaci suada persuasit omnibus: ut  
his materijs duarum horarum inducias concederent,  
acto vero præscripto tẽpore statim ad Suffragia & No-  
minationem Principis accederent. Iam illa fortunata  
temporis Eligendi Regis imminebat periodus, Cum  
director Equestris Ordinis suscepta voce, missos à se  
ad Archiepiscopum nuntios retulit rediisse, simulq;  
ob aduersa valetudinis Reuerendissimum Primatem  
non posse eorum adesse consilio. Modico-interiecto  
tempore Reuerendissimus Episcopus Posnaniensis pau-  
ca præfatus, quod sibi in absentia Archiepiscopi Cui-  
uicnsis, tum & Cracouiensis, quamuis non se nescium  
esse fateretur, cuius Officij dignitatem Maioris Polo-  
niæ Insulatis deberi Senatoribus, id muneris obtigis-  
set, libenter tamen se obire. Flexisq; genibus & cæ-  
teris ad eandem reuerentiam diuini Cultus inuitatis  
deuoto pectore, madente lachrymis facie: VENI CRE-  
ATOR SPIRITVS, alta voce Orant deinde Cruce signa-  
tos vniuersos cum Diuina benedictione ad suos dimi-  
sit Palatinatus. Itaq; Senatores ac Nuncij quorum  
Fratres lege communis motus euocati in armis stabant:  
ad eos:

ad eos discesserunt. At qui Districtus aut Terræ per  
Nuntios tantum ad Actum Electionis comparuerant  
vt M. Ducatus Lithaniæ, Palatinatus Belzensis, Voli-  
niæ, Russiæ, Prussiæ, cæteri; præscriptum Constitu-  
tionis sequendo, intra valli pomerium aut vacuum  
Szopæ spatium factis circulis cum suis Senatoribus ac  
Episcopis de eligendo Rege deliberarunt. Palatina-  
tus Mariæburgensis, cuius tantum Senatores & Nuntij  
feli huic rerum transactioni intererant, in Szopam se-  
cessit cum Illustrissimo Episcopo Culmensi Regni Pro-  
cancellario. In vnum Terris Prussiæ consulere vsita-  
tum; proinde expeditus est Nuntius, à Reuerendissi-  
mo Procancellario tam ad Reuerendissimum Episco-  
pum Varmiensem, quam Palatinos Culmensem & Po-  
meraniæ, vt adesse in commune nostræ dignarentur de  
liberationi, iam sol medium post meridiem cursum te-  
nebat, cum primum numerosè collectæ aduenerant Pa-  
latinorum autoritates, complacentesq; sibi in loco  
fixerunt stationem, ante pontem versus munimenta  
Rotæ progrediq; amplius noluerunt: sed missis ad Pa-  
latinatum Mariæburgensem nuntijs eius præsentiam  
requirebant. Reuerendissimus Episcopus Culmensis  
nihil volēs de merita detrabere dignitate tam propria  
quam Palatinatus rursus ad eos expediuit nuntios, his  
exercitus ambitu velitationib; cum illa pars etiam si cō-  
tra legem vsitatu morem faceret; de arrogantia tamē  
nihil remitteret. Omne tempus deliberationis nobis  
suspecta licitatione consumpsisse videbantur, aduolā-  
tibus vndiq; nuntijs, vnum & viginti Palatinatus in  
Electionem Piasci consensisse, nec iam dissimulari Prin-  
cipem Michaelē Koributum Viśniewicium concor-  
dibus vocibus acclamasse. Ductu itaq; Illustrissimi Pro-  
can-

Procancellarij conuenimus in vnum, concordibus animis  
Suffragia nostra in Michaelem conferentes excluso  
Principe Neoburgo, atq; cum hac declaratione, à no-  
bis Electi Regis consentiente in eum tota Repub. ad  
Conciues nostros Terrarum Prussiae nuntios expediui-  
mus, qui eos recollectoris admonerent animi, suade-  
rentq; vt positis factionibus irent quo fata ducerent &  
praesentia sequerentur. statimq; ad Rotam cum Illustris-  
simo Procancellario progressi sumus. Vniuersam Re-  
ipub. sensum morabatur cunctatio M. D. Lithuaniae  
qui emulatione magnarum Domuum in discordiam  
praecipites, factionibus praeter proprium gentis suae in-  
genium nimiam magnam potentiam obnoxij diuersis  
studijs distrahebantur, nitentibus flagrantissimo am-  
bitu vsq; ad perniciem Reipub. praecipuis familiarum  
sui iuris principem facere, quod si vniuersi conatu &  
paribus votis vniuersi eligerent, nulla ex eo gratia par-  
tibus sperabatur, cum aequalis omnium affectus reus  
Princeps, nec cuiusquam gratiae obnoxius, aequani-  
mem erga omnes gesturus animum sperabatur, quem  
aequali quoq; in Ciues benevolentiam testificaretur. Iam  
parare Principem & sibi suisq; firmare rebus, quem non  
ante praecipitaueris, dum liber à negotijs, non obno-  
xius arrogantiae, & in mediocri fortuna tutior amicitiam,  
facilius gratia paratur, difficile admodum & saepe pri-  
uatis eam felicitatem constituisse periculo. Adhaec  
non modo in annexis Prouincijs & Ducatibus, sed in  
vniuerso Regno, summos Procures, Illustriores Equi-  
tes & Duces ipsos magna ex parte luxus, egestatis,  
facinorum sibi conscios: dum animo Principis & liber-  
tate ex nimiam facilitate abutuntur, summarum expecta-  
tionum ex licentia per rerum nouarum cupidinem au-  
di,

di, Principis ipsi us fasce è folio euulsa: non alium, quis  
dubitet, nisi pollutum obstrictumq; meritis suis Principem,  
fuisse passuros. Inter ambitum adhuc & turbidas  
quisq; spes versabantur cum continua fama et crebri  
nuncij eos exterruere, electum iam esse Principem à  
Nobilitate Regni, nec dubitari quis esset? MICHAËLEM  
CORIBVTVM nominari. Quod p̄tmo magnorum in-  
ter eos certaminum materies; dein ad magis præcipitia  
conuersi: distrahere sessionem & in sequentem diem  
seponere maturabant, Deliberationi tempus prætex-  
batur: sed maligna cura suberat distrahendæ Electioni  
quã vti nimio seruore & acri impetu Populi coaluisse cer-  
tum habetur, ita non nisi mora & interiecto tempore  
resolui potuisse: nisi Illustrissimus Regni Procancellarius  
inter ambigua & præcipitia, arrepto vt magni  
Hæroes solent in arena consilio, insigni, in Principem  
merito & industria, obuium sibi Reuerendissimum E-  
piscopum Cuiaviensem nonnullosq; manu arreptos se-  
cum ad Rotam nobilitatis Magni Ducatus Lithvaniz  
duxisset: præmisso nuntio qui significaret venire ad  
eos ordinum Regni nomine Legatos: statimq; ingres-  
si ac debita veneratione excepti preces miscuere: vt  
dissentire liberè Electo ab ordinibus Regni Principi  
nollent venireq; in Rotam dignarentur, si quid adhuc  
in tanto motu animorum displicere eis videretur, posse  
id per declarationes Palatinatum componi, satis  
interim temporis futurum, cuiq; ad deliberationem,  
quid de Electo Principe aut bono Reipub. statuere vel-  
let. Nec diutius deliberatum, omnes sedibus suis pro-  
ruperunt Rotamq; ingressi sunt. & cum potissimum  
deliberatione egerent, festinatione peccabant, quo tum  
vicio omnia consilia præcipitabantur.

Illustrissimus Regni Procancellarius non seruati  
ciuis vniuersos seruauerat, sed facti Principis Coronā  
ex Assē meruisse uidetur, nam si illa die proxima non  
deliberationi adiecta fuisset, gloriosum illud procul  
dubio opus liberæ Electionis concidisset. sequens e-  
nim dies factionibus & conspirationibus iniquis contra-  
ditiones attulisset, si non propalam in Rotā, ob armo-  
rum metum & minores Procerum armati populi potē-  
tiā vires: at certē non secura Principi contigisset & eli-  
gi quoq; infamē ac periculosum; dum trahitur suis fa-  
tis, occasio armorum ciuiliū & Reipub. per inter ne-  
cina bella pernicies. Olszouius festinando Polonis re-  
stituit Rem. quando vnus prudentia stetit; vt Prin-  
ceps securē Sedem in Solio figeret, Respublica sua fa-  
ta prosperis transigeret Principis auspicijs, demū quod  
sine sanguine & cladibus de fortuna Imperij transa-  
ctum est: Olszouio Patria, Respublica, & vtriq; com-  
municata Maiestas æternam memoriam pro industriā  
pictate debent. At in Rota Illustriores Equites Pala-  
tinatus Sandomiriensis à Fratribus reuersi cum suo Cā-  
didato constiterant, cum quo iam vniversi Ci-  
ues, velut eum facto Principe loquebantur ipse com-  
positus in modestiam illachrymauit suæ fortunæ, con-  
tinuo versus ad venerationem salutantium. Populus  
moræ impatiens & noui Principatū supra modum au-  
dus, infinitis clamoribus nominationem eius vrgebat  
cunctantes ferro se adacturum promittens, etiam mi-  
rari assueuerat. Reuerendissimus Episcopus Cuiuic-  
sis accommodatā voce præsentī temporī differuit:  
nolle se quiquam in præiudiciū Reuerendissimi Pri-  
matis vsurpare authoritatis, cæterum in absentia e-  
ius pariturum Reip. desiderio. ac imprimis gratulari

**Patriæ quòd Poloniæ regnaturus sit Rex Polonus.** Directoris pro tunc absentis Gener ipsius Capitaneus Spifensis vices suppluit, qui arrepto Scipione non diffimilia a sermone Episcopi locutus, tandem ad profectendas Palatinatus inuitauit declarationes, copiam declarandi in primis ex Cathalogo faciens Palatinatu Pofnaniensi, tum demum cæteris iuxta Ordinem legibus præscriptum: Iam extremæ declarationes peragebantur, cū Illustrissimo Primas aduenit, expeditis vniformiter omnibus pro more, ter interrogauit: an consensus Omnium esset? tandem cum summa congratulatione nominauit Principem Electum; iussitq; ad tres Portas valli ( totidem enim erant ) proclamare. Triumphæ viuat Rex continuo clamatur ab omnibus tum ingenua procumbens: **TE DEVM LAVDAMVS** concinit omnis populus; explosa egregiè circa circum valli per integram fere horam indcinenter sclopetis, donec aer obductis fumo; et exeuſso ab vngula puluere nubibus ater omne serenum oculis eriperet.

Inuitans post hæc ab Illustrissimo Archiepiscopo Princeps ad Rhedam, obujs circa templum in arena Minorum Fratrum de obseruantia lucernis exceptus est atq; in Arcem deductus, multis Senatorum cum in Arce præstolantibus. Tormenta per totam noctem ad horam ferè sextam post ortum solis pro suo Principe toto ore loquebantur. Electionem hæc Poloni Regis non sine Numinis cura ac manifesto cæli fauore euenisse iis arbitrabantur, qui fortuitos quosq; euentus non incertis causis: sed fati, sed Diuinæ attribuunt Prouidentia. Nominatio Piasii in primis in Palatinatu Callissensi diuulgata est, non attento Imperii arcano posse domi quam alibi Principem Polonæ quærere & habere: iu-  
uit

hic id consilium dissonantia inter Palatinatus Electo-  
rales notariū futuræ scissionis indicium, plurimis pro Lo-  
tharingo, multis sed peruicaciter pro Neoburgo niten-  
tibus: Audita voce Piaſti vniuerſi in amorem felici Pro-  
topiaſti, auspicio ignoti quamuis boni ruere; acclama-  
tionibus cælum implere: è vicino ſtantes auditis his vo-  
cibus idem ſentire, ac omnes velut vno ſpiritu afflati  
nihil præter Piaſtum deſiderare. nondum manifeſta  
inter Nobiles concordia & iam proſpera prodigia erant  
futuræ felicitatis nuncia: examen apum Palatinatui  
Lancicienſi armata nobilitatem placidè præteruolans  
in terra ante ſigna conſedit; quod iuſſu Præſectorum in  
vnum collectum Sacerdoti tunc præſenti redditum eſt.  
Sub tempus declarationum in Rota Palatinatum, ma-  
rina hirundo niuei coloris per medium Rotæ in acre  
fluſtuans à multis viſa eſt. Innocenter albus color re-  
gnaturum Poloniæ Principem designarit, an vicinis ma-  
gi ac Boritheni gentibus malitiam pacis portendi vo-  
luerit, vtrumq; credere conſentaneum eſt. Illud vero  
potiſſimum admirationem humanam ſuperare videtur,  
cum ſit ſupra humani ingenij capacitatem, quomodo  
in tanta multitudine mortalium, dum ſuis aut alienis  
affectibus obnoxij; factionibus colligati, odijs priuatis  
inſenſi, ære externæ largitionis grauati, æmulatione &  
arrogantiâ, Magnificentiâ & opum magnitudine Prin-  
cipe factioſiores, ieiunæ aliorum, aliorum obruta  
mæro voces in vnum potuerint coaleſcere. An quod  
hos eadem ſpes fortunæ placatos reddiderit? illos con-  
tempus rei ludificauerit; quod nunquam crediderint  
cuenire potuiſſe quod factum eſt. publico conſenſu vi-  
ctos mirari maluiſſe quam impedire; dum opus deſti-  
natum ſæculorum memoriâ, fata maturabant. id quo-  
q;



q; puto cæteris accidisse consonantiam experrectarum  
& temulentarum vocum non scrutor rationibus sed mi-  
ror: Et dum miror Augustissimæ Reginæ Poloniæ in  
Polonos amorem ac protectionem ac Diuinæ Maiesta-  
tis in Filio elementiam deperco: etenim dum Neobur-  
gum alij, posita in ipso portu bonæ spei votorum con-  
fidentia, non ero mea spe officijs ac veneratione desti-  
nabant imperio, alium fata Principem in Sarmatarum  
fauorem salutemq; in occulto tenebant.

Illuxerat festiuitas Corporis Christi illustris sum-  
pro de corpore Reip. Poloniæ Regis audientijs matu-  
rinum tempus absumptum; Nuntij Apostolici, Cæsa-  
ris, & Succiæ Regis Legatorum. Hora decima egres-  
sus est ad templum præstolante cum sacrificio loci or-  
dinario, multis cum Illustribus personis antecuntibus,  
deferente Scipionem Regni Cancellario. Templum  
foribus ab Arce situatis ingressus est; Regaliq; ad dex-  
teram Altaris consedit sede, ingens hominum multitu-  
do oppleuerat templum, adeo vt nõnullis anxietas de-  
liquij causa fuerit: peracta Missa Concionem seu veri-  
tatem orationem habuit Poplanius. Finita Concio-  
ne processionaliter Venerabile comitans ad templum  
Noûæ ciuitatis Matris Angustissimæ processit. Reuer-  
susq; Cancellarium Regni cum Procancellario pro præ-  
dio habuit. indultum lætitiæ ad horam quartam, cum  
sol tepescere cæpit multumq; iam de rigore ætus illi-  
us dici remissum fuerat? Nobilitas armata in campis  
Regem expectabat, cui gratias acturus pro suffragijs  
liberaliter in se collatis grisei coloris ascendit equum,  
comitante cum equite Illmo. Procancellario. duo  
Raitarorum vexilla a tecedebant, tum ingens nume-  
rus Caualcata ante equitabat & sequebatur. Stabat cu-  
iusq;

iusq; Palatinatus disposita per acies Nobilitas, à Szopa. versus Viazdow ingentem camporum occupans plannitiem: Magnatum sumptuosa satellitia suis quazq; Palatinatibus assistebant: egregiè ordinatae acies distincti per gentes exercitus, instructus optimè armis equis probè vestitus pedestris miles, generosi equi, insignitubarum ubiq; concentus, tympanorum strepitus, fulgentia signa, late expansa vexilla, splendore & ferro terribilis miles, in ipsa pace atrox bellifacies nonagintamillia instructi exercitus augebant spectantium animos terrebant. Rex ut quamq; accesserat nobilitatis armatae turmam, Palatinis, Ducibus, grates referrebat, ceteros intacto capite & reclini venerabatur. Vbi præterisset in triumphum ab uniuersis bombardæ explodebantur. Nec tamen ea humanitas Principis sufficit præconceptæ de eo nobilitatis spei & amoris. Quarulabantur non occulti, non modo Duces, verum se quoq; pari honore dignos fuisse: cum non Raitarorum Germanorum turmas, sed equitum Polonorum Ordines prætercheretur, adeo apud Polonos imperia Regum cum solâ consent subditorum beneuolentiâ, reciproco Principum amore & clementia æstimantur. Quatuor plus ultra horarum spatium lustratio robustissimi exercitus absumpsit: quem nemo Regum aut Principum in orbe uniuerso, nullo penitus fortunarum suarum aut publicarum opum dispendio ne obulo quidem erogato (cum apud Orientales nationes ceterosq; Principes, qui late orbi imperant omnipotenti Imperio Timarrorum quoq; exercitus magno eis constare soleat facilius comparare & habere potest exercitum, armis optimè instructum, militiæ peritum, abella expeditum, præliorum audum. Iam soldiem valere iubebat cum  
Rex

Rex in Arcem regrēdi statuit, ad regressum eius explosa sunt maiores machinae donec sol diem desereret.

Sequens dies veneris erat & à corruptis nimia potentiae instrumentis non amoris in Principem, sed odij infelix tela ordiri caepa est. Instituebantur à male contentis consilia ad impediendum Electionis Actum cum pridie vltro & praesentes consensisset. Marschallus in Rota equestri proposuit vt ad Pactorum Conuentorum Tractatus descenderent. arrepta occasione vgebant nonnulli; vt in medio Rotae, tractarentur. Sed contra Episcopo Cracouiensis dissertit, antiquo more receptum esse, exorbitantias non in medio Rotae, sed per Deputatos ex Rota tractari, et modificari consueuisse. Vnus Illustrissimus Procancellarius occasione, id se optare asseruit, quo maturius expedirentur: iamque à Serenissimo Rege assignatos ad Tractatum Pactoctorum Conuentorum ministros Sigilli vtriusque gentis ex equestri ordine. Quorum nomina ex hactenus specificauit, Multum temporis pro & contra rationibus distractum est; donec aduentu legatorum, à bellica Nobilitatis congregatione sedarentur; quorum vnus Terociter declarauit, missos se ab armata Nobilitate, quae admodum affecta est rumore, quasi impii Ciues aduersus Electum Regem perfida consilia molirentur, proinde libenter, in mari vellent an cum fama, facta congruerent, reuerturos se statim vniuersos: & in seditionis capita serio inquisituros. Reuerendissimus Archiepiscopus respondit: irrita esse quae afferentur, & ad odium Magnorum confecta ciuium. Post haec vnus Legatorum ad genua Reuerendissimi Primatis supplex precubuit; obsecrans illum, vt manifestum faceret, si quae illi nota essent consilia aduersus Serenissimum Regem

& salutem Reipub. inita, Medio tempore quo hæc agebantur, vehementissimus turbo exortus: est fuliginosa cæperunt lucem densare nubes minari tonitrua corruscare fulgura, tempestas imbribus scuire, donec turbulenta illa materia de Principe mutando finiretur ipso cælo scelestis ingenijs perfidiam explorante. Conuentum tandem, vt Pacta conuenta per Deputatos in Arce tractarentur in conclauis Reginalis Maiestatis, statimq; redijt, cæli tranquillitas: assignati sunt, ab Illmo. Primace ex Senatu Tres Episcopi, totidem Palatini, & Castellani singuli ex gentibus, à Marschalco Equestri, bini & singulis Palatinatibus, singuli ex Tertris. Expedita Deputatorum nominatione, appropinquante nocte discessum est. Aderat dies Saturni iamq; in Arcem confluerant vniuersi, qui exorbitantias, qui Pacta conuenta maturarent. Conuentum à paueis in eum ordinem, qui in Rota definiri non potuit, vt seorsuè vtraq; negotia expedirentur. Deputati itaq; ad exorbitantias in senatorio Conclauis remanserunt, quibus Pactorum cura erat ad Reginale perexerunt conclauis, vbi facta Propositione à Reuerendissimo Episcopo Posnaniensi & à Marschalco equestri de Ordine & Methodo tractandorum Pactorum conuentorum vt imprimis ea tractarentur, quæ ad Rempublicam pertinerent, quæ circumscribendo Principi conducere admittendoq; more maiorum Oratores Principis ad declarandos Regiæ Maiestatis sensus censabant suadebantq; multa contrarium sentientium fuere argumenta. Præter consuetudinem & naturam moris Electum esse Regem de corpore Reipub. non ab externo Principe venire Legatos, nihil obluros Reipub. cum nihil largiri possit satis temporis ad inducendos Oratores  
vbi

communi consensu, Pacta conuenta coaluissent, non enim expedire, vt ad crudas materias inuitacentur. Mora tandem non ratio persuásit, vt ad excipiendos consentirent Oratores: Deputati itaq; sunt, aliquot tãtm Senatorij quãm Equestris Ordinis insignes viri, ad introducendos Principis Oratores. Quorum Princeps Reuerendissimus Episcopus Cuiaviensis disseruit: nullos equidem Reipub. offerre Serenissimum Regẽ Milliones, omnia tamen, daturum: si pacem dederit. Responsum a Reuerendissimo Episcopo Vlnensi Sapiãa, & á Marechalco Equestri satis conuenienter: tũ cum honore dimissi sunt. Conuentumq; vt á Marechalco Equestri, (qui tum scipionem tenebat in absentia sigilli custodum, liberisq; vocibus præsidebat) Vladislai Pacta Conuenta legerentur illis addere cut minuire licitum esset: variã interim materiã proferebantur inter quas Illustris sententia enituit, vt Palatinatus cuiuscunq; nobilitas in conuentibus quatuor Candidatos nominaret, Senatorum in Comitij Regni generalibus pluralitas votorum definiret, cui Princeps dignitatem Satrápiãe aut quamcunq; aliam prærogatiuam conferre deberet. Per illicita petendi via honores occludi videbãtur, restringi ambitus deteriorum, summa adipiscendi per scelera & obscãna adulationis; corruptorũ in omne nefas omnis ætatis morum familiares iam licitationes. opulentis largiendi vitijs, quã virtus meruerat, eripi campus videbatur, aureum sæculum postlimiuo reduci sperabatur, vbi solas virtutes æramia sequerentur. Vtile id in publicum, honestum quã priuatim, firmandã liberã Reip. eximium Aristocratia Arcanum, paucorum resensu aut maluolentia, seu potius libidine assentationis dum præsentia conducerẽt, modica

modica in posterum aut nulla afferendæ libertatis cura, irritum fuit. Sessio eius dici ultra modum bono civium zelo extracta est ad horam fere tertiam pomeridianam, volentium ea temporis indulgentia pacta conuenta concludere. ob nimios discursus & altercationes perfici tam pium opus non potuit. Exinde discessum ad Rotam, factaq; copia consulendi de Republica à Marschalco pauca prælocuto an omnium mens esset legendi puncta, quæ per Deputatos ad Pacta conuenta steterunt, pauca fuere, percurri nihilominus omnia à Marschalco non potuere ob vana certamina quæ plus confusionis afferbant, quàm rationis.

Decimo Calendas Iunij extracta ad meridiem dici Sessio à Deputatis ad Pacta conuenta inchoata est; ibi famulante occasione Subiudex Palatinatus Rauensis vice instigator Regni, libertatem vocis non circumscribendam sed legibus firmandam censuit, si a Serenissimo Principe suprema officij Sigilla, Campiductores Clauæ cateraq; magni in Repub. momenti potestates propinquis conferantur, quos ei milenos in tua familia promptum est inuenire. Egregia & illa sententia de Cleinodijs ac Supellectili post decessum Principis Thesouro Reipub. inferenda & approprianda relinquento Reuerendissimi Procancellarij vt solum id in casu sterilitatis valeret extenuata. Tandem afferente: id quoq; iniustum sibi videri si proprijs rebus Domino disponere non liceat, potestasq; testandi extreme voluntatis contra ius naturæ ac omne fas eripiatur: non attento omnem fortunam hausturam Principem è Republica pænu, nec vllum tam exiguum aut grandioris fortunæ beneficium habiturum, quod non immerito Republica favori acceptum deberetur: penitus superflua est.

Inte r

Iner artes erat secretioris solertiae in Contractu nuptiali  
Sēssimi Principis, eam quoq; adijcere conditionē, neq;  
neglectum eo in passu vidimus ingenium. Maior di-  
screpantia sensuum rationumq; vbi ad constituendum  
ordinem registri Comitialium Regni causarum deuen-  
tum est. omnibus ferē nitentibus, vt causae eo ordine  
tractarentur quo in Cathalogum seu regestrum inscri-  
pta fuerint, nec facultas esset Principi eas pro libitu  
transferendi. Illūssimus Primas dissonantiam suam ra-  
tione turbatur futuram eam potestatum regestranda-  
rum causarum in manu scribarum, qui precio corru-  
pti, contra dignitatem Reipub. eam sibi vsurpabunt  
cum licentia potestatem Occultius Rūdissimus Pro-  
cancellarius suadendo, declinabat in contrarium sen-  
sum, saltem causas magni momenti licitum esset Prin-  
cipi extra Regestrum ad beneplacitum suum iudicare  
sed eam vocem cum aspernarentur & obstreperent vo-  
cibus: palam professus est, id quoq; se vt ceteri Nobi-  
lium ex libertate vsurpare ac praesentem materiam  
lege firmari, nullatenus permittere. Dispari animo-  
rum contentione prouisionem Sēssimi Principis abdi-  
cati tuebantur, sed renitentibus strenue de-  
putatis equestri ordinis, cum negotio de Campidu-  
stori Claua Procancellario M. Ducatus Lithuaniae  
collata, velut pro subsidio ad Rotam equestrem reie-  
cta est. Quamuis forte parum mihi expedierat eas  
sententias posteritatis iudicio prodere, quae per in-  
corrupta maiorum instituta & flagranti libertatis zelo  
honestae aut per dedecus seruilis adulationis, vel ni-  
mia spe & praegnantia libidine futurae potentiae vt in pu-  
blicum noxiae, ita cum sine cura libertatis legumq;  
agi deprehenderentur, non sine nota & perenni fame  
dcho

dehonestamento in familias, verò posteritatis sæculo-  
rumq; expenderentur iudicio; simulq; quæ tunc rerum  
focies, quam labefactata Reipub. forma, quantum pu-  
blica egestate, singulorum auaritiâ de antiquo Reipub.  
decefferit splendore. assuetis ad licitationem animis vbi  
vili erat pro precio quæstiosa virtus: multis libertatis  
studium profitentibus statimq; negligentibus. cum non  
ex amore sed ex vsu, aut ob metum & pudorem, ne plu-  
rium consensu vincerentur ab honestissimis quibusq;  
sententijs descuiisse. Demum incuriosa virtutis Maior-  
um posterior ætas meminisset temporum, quam Rei-  
pub. formam primi parentes reliquerint, vltiora mi-  
raretur, præsentia non sequeretur, nec voto & affectu  
Rempub. reddere beatam cuperet, sed moribus & an-  
tiquo Legum cultu. In Equestri Rota vrgebant Zamoi-  
scij impetrata à Marechalco voce vt Reipub. deputa-  
re dignaretur ad Serenissimum Regem, vt ille cum  
Illustrissima Principissa Matre sua conferre vellet, &  
authoritate sua id efficere: vt illis in eorum desiderijs  
satisficere posset, promouentibus alijs; alijs negantibus,  
cæteris lectionem pactorum conuentorum vrgentibus,  
integra Sessio euauit. Postera, die in Aree cum de  
distributione vacantiarum ageretur, Iura indigenatus  
terrarum Prussiæ strenuè à Regnicolis oppugnata, & à  
nostris egregia tuitione propugnata sunt, donec solu-  
ta sessione ad Rotam equestrem ea quæstio ab omni-  
bus decidenda reijceretur. In Rota cum Pacta conu-  
ta director Equestris legere contenderet. Succamera-  
rius Mscisslaviensis arrepta voce conquestus est, se in  
periculo honoris esse, cum iniustam patiatur impetiti-  
onem à quodam ciue qui illum prius ad generale forū  
Capturale prouocauit, publicata verò abrogatione Iu-  
dicio-



diciorum, denuo ad iudicium Marschalci Regni citauerit, vt tandem post discessum suum in periculum honoris conijcere posset, Varia ea super re vota consensu rata aut dissensu inita fuere: ostendentibus nonnullis legem quæ exciperet omnes nuncios eorumq; familiam à iudicijs quibusuis super eos extendendis, alijs in contrarium afferentibus eam legem in præsentia actu Electionis subesse exceptioni, cum hic nulli in suis personis Palatinatus repræsentantes nuncios, sed vniuersa Nobilitas adsit & priuato cuique licita actiuitas. Consensu tamen publico stetit vt ad Marschaleum Regni Director Equestris deputaret, vt ab eo iudicio iudici suo abstinere mandaret: cæteri volebant vt Marschaleus equestris quatuor deputatos ex singulis gentibus nominaret, qui hanc causam formato Iudicio diffinirent. Inter has conferentias similesq; discursus noctis primordium Rotæ consilium diremit.

Decimo quinto Calendas Iunij Solennitas octauæ Corporis Christi pietate Christiana illustris consilium de Reipub ad horam sextam vespertinam retraxit: id ægré tulere multi, cum eodem tempore & ad Rotam & in Arcem confluere & Equestris ordo ambiguus consilij. Materia Indigenatus iterum occasio concertationibus fuit, remoraq; publicorum consiliorum nec amplius prolongationem pati posse: In hac porro Sessione Pactorum conuentorum cum nihil in vim Conclusionis, sed tantummodo præparationis agitari possit in Rota Equestri satius esse de mane Sessionem inchoare, vt ea ratione facilius expediendis Reipub. negotijs occurrere possit.

Decimo sexto Calendas Iunij cum solito maturius in Rotam Senatus & Eques conuenere. Sessio vltra modum perin tegram diem continuata, contententibus vota ac spem publicam, optato Consiliorum sine coronari expediri nihilominus non potuit ob graues materias & solida

rationum certamina, Insignis vtilitate Reipub. excusa-  
tus inuidiæ, communis status ratione conceptus, ne Rex  
suprema Officia Sigillorum Regni, Præfecturarum Exer-  
citus, euiquq. conferre præsumeret, sine expresso in Co-  
mitijs Regni Generalibus Reip. iudicio & assensu: con-  
trauentione nimio Aulæ fauori litantium suppressus est  
non sine dolore honorum Ciuium nulli affectibus obno-  
xiorum. Materia incompatibilium maiori motu agitata  
cum grandiori temporis detrimento, multis peruicaciter  
vrgentibus, quos Radiuilianus afflauit fauor, vt id quoq.  
adijceretur Punctum, saluis modernis possessoribus. Pace-  
ani de incompatibilibus reassumi contendebant, sine adie-  
cto quod subsistere non posset. Vix tandem præcipuorum  
in Repub. vitorum precibus cohibiti sunt; quin in apertas  
erumperent contentiones. Pollicente Reuerendissimo Ar-  
chiepiscopo breui temporis momento se dissones illorum a-  
nimos suâ aliorumq. obsequij operâ conciliaturum, biduo  
super tractatu concordiæ absumpto, irritatis magis animis  
quâm compositis relictis sunt. Reliquum temporis, Proui-  
sionis materia Casimiri Principis perdegit. Reuerendissi-  
mo Episcopo Varmiensis Legationem obeunte & amana  
quamuis oratione fauorem Principi suo querente confu-  
sionem tamen & inuidiam frementis populi declinare non  
potuit. Illustrissimus Primas nunc Senatui magnificè &  
pro causa fidenter respondit: Marechalculus Equestris ex-  
ploratâ singulorum Palatinatum voluntate; Equestrum  
quoq. ordinem Prouisioni Serenissimi Principis libenter  
annuere, hac adiectâ cautellâ, vt Priuatorum iniurijs ci-  
uili bello irrogatis satisfiat, Tum Kuropatnicus libenter  
se Prouisioni Serenissimi Principis Casimiri annuere ita  
tamen vt & mercatoribus satisfiat qui datos Tartaris à su-  
premo Duce Exercituum Regni pro obsidibus insignes  
milites mille aureis redemerunt. Actum & de perfol.  
uendis

uendis ex publico Cataphractorum vulgo Vfarorum vexillo Illustrissimi Principis Campiductoris Regni stipendijs, dumq; alij modos insinuant: Supremus Thesaurarius Regni inopiam Thesauri testatur & excusat. Nox turbo, Probella confusas materias distrahere.

Primo Calendas Iulij tempestiue ad Rotam Senatus & eques confluerunt. Omniaq; ferè Pacta conuenta ad meridiem communi concordia confirmata sunt reliquæ materia parem prosperi status euentum præstolabantur. Cū repente odiorum materies inter partes exarsit, subministrante fomitem Castellano Posnaniensi Grzymalstouio per proiectum medium eâ tempestate ad res turbandas & conuellendam Reip. tranquillitatem validum: quasi Radiuilius Procancellarius M. Ducatus Lithuanix præscriberet Regi Electo leges, suaderetue quod de eis concedendū aut rejiciendum esset. Iam ad infesta, iam & ad conuitia partes transgrediebantur. Cum rursus Lithuani nouis motibus occasionem præbuere. vrgentibus nonnullis Lithuanis exercitus dimissionem, alijs tuentibus suadenti. busq; id quamuis necessarium & vtile sibi suisq; rebus esse fateantur, nihilominus tamen aliter id euenire non posse, nisi debita prius stipendia militi numerentur; parabantq; ex consilio Reip. seorsuam Sessionem, vt inter se super eo differentias modificare possent. Episcopo Cuiuensis inter Magnates Lithuanix suam interponente auctoritatem firmata concordia: vt Radziuilius minori sigillo & Campiductoralis Claua potiretur sed bona quæ olim à Palatinatu Vilnensi auulserat decem millium censu commendata Supremo Duci Exercitus Lithuanici Pacio eidemq; Palatino vilnensi dimitteret, certa q; spe erat eadie definiendorum Reip. Consiliorum. Cum Zamoiscius impetrata voce acriter conquestus quod in æquali Rep. non flere non supplicare iudicio demum finiendi litem fa-

culas misero non daretur, protestatione solemniter facta contra totum Electionis actum, Factorum conuentum definitionem, & præstando super ea Electi Regis iuramento, erumpens ex Rota discessit, leuiter primo & contemptim à Nunciis Palatinatus Sendomiriensis habita protestatio, tanquam vnus illorum infamiæ pæna inodatus alter complicitatis reus impedire actiuitatem totius Rote non possent. Diuersam ad hæc naturam Comitiorum Electionis à cæteris Regni Comitijs causantium: nec mittere ex Rota ad reuocandos, quamuis multi suadebant vrgebantq; permisere: vix consentientes vt director Equæstris Rotæ nomine suo ad illos priuatim expediret, quorū legatio successus vacua fuit: sed postquam Marefchalcum Regni qui pro tum liberis vocibus præsidebat posuisse scipionem aduerterunt, & libertatis actiuitati facultatē vocum dispensandi renunciaffe; pro libitu vocibus prout cūq; affectus aut ingenium suppeditabat differuere. Inter cæteros Iudex Sendomiriensis censuit, vt à maioribus præscriptu & concessum arripiens exemplum, qui in similibus Electionis casibus, quatuor aut plures solectos ex Reipub. sancitorum solemnem nomine Reipub. facerent protestationem, ne Reipub. securitas ne statuum tranquillitas confunderetur: hoc tamen medium euentu irritum fuit, suspicante Reipub. illum casum non factionis malevolentia sed iusto dolore iniuriati ciuis euenisse, nec multo post ex Rota equestri discessum est.

Secundo nonas Iulij frequentissimo Senatu consultatū qua ratione Zamoscij reuocari possent. Tandem vt in metu euenire solet ac Reip. periculo, citius quam pro more (cum de formatis corruptissimæ Reipub. iustitutis illud quoq; cruci moris irrepsit inconueniens, minimas etiam materias infinitis impugnando discursibus diuersorum ob-

trusu materiaram difsonas prolifcare voces, non rebus sed  
verbis studere, plus loqui quam sentire, agendi tempora  
consulendo extrahere, orationem verbis ornare Rempu.  
detrimento temporis ieiunam consilij velut diata qua-  
dam afficere non sanare) communi consensu approbatum  
est illud medium, vt ad illos Mareschalcus equestris Or-  
dinis mitteret legatum e medio Rotæ publico nomine pro-  
ponerentq; illis Reip. facilitatem, quæ illos Constitutionis  
fide asscurare intendit definiendæ eorum causæ in Cõmi-  
tijs Coronationis, iudicandæ per deputatos 12 ex singulis  
gentibus. missusq; ad eos Succamerarius Brestensis Cui-  
uientis cum hac declaratione paulò post regressus irrito co-  
natt, nam illi hoc medio male contenti, deputatorum tam  
grandem numerum pertimescebant, quorum ambitus vt  
evitari non posset ita eorum causæ summum adferret discri-  
men, suum quoq; proiectum Reipub. miserunt, vbi non  
modo iudicium petebant a Reipub. Verum etiam ne ordi-  
natio maiorum, suorum circa bona Zamoisciana periclita-  
retur postulabant. Id rescriptum apud plurimos summæ  
indignationis motium fuit, versiq; ad consilia vniuersi  
vana rationum momenta afferebant, vt Serenissimo Prin-  
cipi Electo, quoniam Zamoiscius contra firmata præsentis  
consensu pacta conuenta protestatus sit: Casimiriana Pacta  
conuenta proponerent, moderna autem, & quidquid Re-  
spub. sub tempus Coronationis offerret Rex sub nexu præ-  
sentis iuramenti se rursus alio iuramento firmaturum spon-  
deret: Iamq; hoc medium omnium consensum inuenisse  
videbatur; Cum Reuerendissimus Episcopus Cracouiensis  
contra differuit, id sibi penitus placere non posse, cum mul-  
ta inueniantur in pactis Casimirianis quæ Rex nulla ratio-  
ne sine læsione conscientiæ & periurii periculo iurata fide  
firmare non posset, nec præsentem Principem deceat. Tum  
progressus dubii de protestatiobus contra Zamoiscium fa-  
ciendis

ciendis publico nomine differuere, cum pro hoste Patriæ  
declarando: Alii recurrendum esse censebant ad confæ-  
derationem super turbatores Reipl. & scissionis fomenta-  
tores in eundem, & exui Confæderationis proponendos  
Principi articulos super quos iuraret. Ad retinenda  
præsentia pacta conuenta inclinatos iam animos Validius  
impulit Pac Magnus Cancellarius M D Lithuania, asse-  
rendo se super pacta conuenta Casimiriana nulla ratione  
consentire posse: nam si actiuitatem Respl. habere non po-  
test, quo modo in afferendis Regi Pactis conuentis Casimi-  
rianis nouam legem formare possit? Satius esse & honesti-  
us ut Princeps Electus iuramento firmet præsentia pacta  
conuenta in quæ tota Respubl. & ipsi protestantes conten-  
sissent. Conuersa proinde omnium vota an actiuitatem  
Respl. sibi restituere posset? Illustrissimus Primas egregie  
seruata in sua sententia mediocritate, assicuranda esse illis  
per Constitutionem iudicia censuit, eo adiecto Rempubl.  
omnia eis concessuram quæ antea ab ipsa petiissent, tum  
deinde libere ad felicem consiliorum coronidem conde-  
scendi posse. At Iudex Sendomirensis acriter inuectus in  
Zamoiscios contendebat Reipl. actiuitati nihil de rogatum  
esse per protestationem a Zamoiscio factam qui cum con-  
tra totum Actum electionis protestatus sit, & pacta con-  
uenta in quæ vltro consenserat: proinde eam protestatio-  
nem enormem & irritam esse. His aliisque rationibus exti-  
mulati, & approbare videbantur, & non plene consentire  
super iis consiliis quorum effectum atque finem desidera-  
bant: Recentia tamen pacta conuenta placuere ut pote  
quæ multum præsentis Reipl. statui conducere præiume-  
bantur, tam fatali impetu properabatur ut Serenissimus  
REX Electus super ea iuramentum præstaret: Exorbitan-  
tias vero sub nexu eiusdem iuramenti quæ in futura coro-  
natione statim post actum solennitatis tractari deberent se  
firmatu.

firmaturum polliceretur, Illæ nihilominus exorbitantiæ quæ in Comitibus præ-  
sentibus Electionis publicæ concordia conualuissent, Actis publicis ingrossa-  
rentur, quarum extractum Mareschalco; Equestri ordinis futuro Directori  
Comitiorum Coronationis pro informatione Reipl. offerret. Nihil; deesse  
ad Coronidæ videbatur cum Cancellarius M. D. Lith. differuit diem iam de-  
ficere. Iuramentum Regis Electi nondum lectum esse a Mareschalco Eque-  
stris ordinis materiam M. D. Lith. dimittendi exercitus, qui sine exolutione  
stipendiiorum in Consæderationem potius abiret quam se dimitti pateretur,  
exolutionem siæ tribuit contingere non posse. Proinde concederent M. D.  
Lith. breuem moram vt scilicet crastina die tantum negotium inito in Arce  
consilio modificare posset. Restabat adhuc expediendarum Sueciæ aliorumq;  
Principum Legationum materiæ, sed de his nihil transactari poterat sequenti die  
siæ præsentia Nunciiorum M. D. Lith. qui per binos dies materiam suam fa-  
cilitate non poterant, frequentante nihilominus Rotam Mareschalco Equestri  
ac concessa publicis consiliis discretionem tēporis non tardiola sessio soluebatur.

Dies Saturni Comicialis operis finem, aut consiliorum confusionem ex-  
pedebat. Cum hora tertia post meridiana vniuersis Senatus & eques intentus  
quib; pro ut cuiq; mens & affectus prosperis aut aduersis votis suis in Rota  
affuit, M. Ducatus Lithuanicæ per deputatos tantum ex consensu suo Reipl.  
negotia iuuat; nam ea die ex Arce ad Szopam sessionem suam transferunt,  
cum intra tres dies dimittendi exercitus adæquatus non potuissent inuenire  
rationes, cuius negotii decisionem ad futura Coronationis Comitia reiece-  
runt. Zamoitiorum Causa rursus controuersiarum materies, agendorum  
consiliorum mora, cum in suis desideriis paulo ante acriter persisterent, in-  
sperata mutatione, qui pridie Rempl. terruerant, trepidabant, variis in Rota  
excepti vocibus, ac pene pro hostibus patriæ a nonnullis declarati ac procla-  
mati, & qui prius soli spiritu feroces, aduersus suæ causæ leges dabant: Rei-  
publ. Maiestatem reueriti, quieti intentiq; mandato Imperatricis Fortunæ  
fatis submisere animos.

Deerat iam iusta litibus materia, Vnde mirabilem confusionem & cum  
lusu spectare expedit, egregiæ quoq; materiæ publico iuuentæ commodo  
discursibus agitabantur & læpe vanis, aut speciosis rationibus ne coalescerent  
corrumpebantur, adeo corrupti a motibus maiorum, vt a nulla in vniuerso  
errarum orbe Natione accomodatius illa Præmia usurpari possit, quam ab  
Eran. in Rota Equestri ex Palatinatu Podlachicæ & Ducatu Mazouicæ  
qui

qui publicis sumptibus ad retinendum presidium in fortalio Barenfi contra-  
 dicerent. Coronationis Comitiorum tempus 29. Septembris celebrandum  
 Cracouie: particularium in Palatinatus & districtibus Comitiorum prelatio  
 intra sex septimanas a conelusione Comitiorum electionis ab Illustrissimo Pri-  
 mate declarata est. Iam sol diem deferebat, cum a Marschalco Equestris  
 ordinis Rota iuramenti Electro Regi exhibenda, super quam postera die iu-  
 raret presentata est. Tum ubi consiliorum finis aderat. Director equestris  
 insigne officii sui scipionem ponens, gratias egit pro beneficio liberaliter in se  
 collato Equestri ordini, cui pro ingenti labore & cont. nua exantlati pro  
 Republ. curis, pari officiorum contestificatione Equestris ordo celebrantia  
 lis diebus aduenerant Cosacorom Nuncii pactorum Hadriacensium. Confir-  
 mationem a Republ. & Electro Principe petitori: obedienciam Reipubl. &  
 patrie amorem vt quondam, anequam bello seruili per summam iniuriam &  
 oppressionem status sui miserentur: promittentes ac fideliter se Dominio  
 Respubl. ac Principis Imperio parituros; si paterno affectu in posterum ha-  
 beantur, & iusto regantur imperio.

Ipsi Nonis Iulii Rex Electus ad templum progressus est, non capiente  
 Sacra aede, quamuis non angusto spatio, populi multitudinem; Reverendis-  
 simo Archiepiscopo ad magnam Altare sacrum celebrante, magno omnium  
 fauore; quod raro viderant laudantium & mirantium, stabant a dextris Ar-  
 chiepiscopalis Eminentie, a sinistris Episcopalis dignitatis insignia, ipse spe-  
 cie Magnificus, ore, verbis, Aspectu, motu deniq; ad elegantiam composi-  
 tus, illustrem eius diei actum onerauerat, ac ornauerat magnificentia: Peracto  
 sacrificio, stabat Illmus Primas in eo ornatu quem induerat pro gradibus al-  
 taris, tenens manibus Euangelium super quo Rex iureiurando firmaret pacta  
 Conuenta: Ad quem Princeps pietatis manifestus procedens flexo genu ex-  
 hibente ei Rota iuramenti Archiepiscopo, de more iuramentum prestitit.  
 Tum Illmus Primas specie Senatûs, Marschalco Equestris Ordinis nomine  
 Nobilitatis grati animi testificationem suam quisq; comisit sua da. Principis  
 ore gratiarum actionem Illmus Palatinus Culmensis Gninskius reddidit. Trans-  
 actis ceremoniis Marschalco Forensis clara voce publicauit Polonos iam iu-  
 stum Regem habere. Hic finis Comitiorum fuit confuso tractandorum ne-  
 gotiorum ordine parum decorus; malis artibus & ingentiorum stratagemata-  
 tibus dubius ac pene insperatus: inuenta electionis methodo Reipl omnino  
 alte radicatis periculosus factionibus, nisi quod malorum metum, & grauiora  
 metu ipsa mala, suprema lege fatorum Sarmatici fortuna Imperii aboleuit.